DE

PLATONIS SOPHISTA.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMO ORDINI PHILOSOPHORVM
MARBVRGENSIVM

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

OBTVLIT

PAVLVS DEVSSEN,
RHENANVS.

MARBVRGI

1869.

Quaestiones quasdam impeditiores de Platonis Sophista huic libello mandare mihi propositum est, quibus et dialogi ars ac doctrina penitius paullo, quam adhuc factum est [1]),

1) Eorum, quae de Sophista nostra aetate scripta mihi innotuerunt, quo brevius postea per compendia queant significari, conspectum hic subicio. asterisco notantur quibus uti non potui. Schleiermacher, Platons Werke II, b, p. 87 sq. (paginas cito edit. III. Berl. 1857). — Heindorf, Platonis dialogi tres, Phaedo, Sophistes, Protagoras, em. et. annot. instr. Berol. 1810. — Ast, Platons Leben und Schriften. Leipz. 1816. p. 193—216. — Socher, Ueber Platons Schriften. Münch. 1820. p. 258—270. — Deycks, de Megaricorum doctrina. Bonnae 1827. p. 37 sq. — Ritter, Gesch. der Phil. II. p. 174. 241 sq. ed. I. Hamb. 1830. — C. Fr. Hermann, Gesch. u. Syst. der Plat. Philos. p. 502 sq. Heidelb. 1839. — Zeller, Plat. Studien. Tüb. 1839. p. 186—193. — Stallbaum, Platon. Op. VIII. sect. II. Gothae 1840. — Brandis, griech.-röm. Phil. II, a. Berl. 1844. p. 207 sq. — Steinhart, in prolegomenis, quibus dignatus est Muelleri versionem germ. vol. III. Leipz. 1852 p. 415—473. — * Deuschle, die Begriffe der Bewegung und des Werdens bei Plato, in Jahni annal. vol. LXXI, 1855. p. 176—181. — Susemihl, die genet. Entwicklung d. Plat. Phil. Leipz. 1855—60. I, p. 287-312. — Suckow, die Form der Platon. Schr. Berl. 1855. p. 61. — * Alberti, zur Dialektik des Platon. Vom Theaetet bis zum Parmenides. Leipz. 1855. — Munk, die natürl. Ordnung der Platon. Schr. Berl. 1857. p. 421—433. — Deuschle, der Sophist, in Plat. Werke III, 2. Stuttg. 1857. p. 297—419. — * Michelis, die Philos. Platons etc. Münster 1859-60. I. p. 182—207. — Zeller, die Phil. d. Gr. II, a. Tüb. 1859. p. 415. 436 sq. 699 sq. 180 sq. al. — Bonitz, Plat. Studien II. (Wiener Sitzungsber. XXXIII, 1. 1860.) p. 285—333. — Ueberweg, Untersuch. über die Aechtheit u. Zeit-

pernoscantur, et ad controversias, quae de hoc libro nuper denuo exarserunt[2]), aliquid utilitatis redundet. Sed quoniam singula, nisi totum perspicitur, suam lucem non habent, de argumento universoque libri consilio ita disputabimus, ut eis, quae nota sunt et ab aliis bene iam exposita, breviter transactis, ad singula quaeque, prout res postulet, accuratius pertractanda descendamus. Quae vero omnino in artis operibus illustrandis optima ratio est, ut primum analysi supremum operis propositum investigetur, tum ex hoc quomodo partes et singula omnia nata sint, synthesi quadam cognoscatur, eam viam nos quoque eo magis tenebimus, quo minus huius potissimum dialogi ars et compositio, donec non e proprio consilio, sed ex aliena comparatione perpenditur, intellegi potest.

Et de argumento libri ut breviores esse possimus efficitur libello notissimo Bonitzii, in quo eximia cum diligentia Sophistae argumentum enarravit[3]), priorum erroribus partim

---

folge Plat. Schr. Wien 1861. p. 152—159. 202 sq. 275—278. — Ribbing, genet. Darstellung der Plat. Ideenlehre. Leipz. 1863. I. p. 188 —221. — Stein, Sieben Bücher zur Gesch. d. Platonismus. Gött. 1862—4. I. p. 221—229. — Grote, Plato and the other companions of Sokrates. Lond. 1865. vol. II. p. 396—474. — Stephan, der Plat. Dial. 'der Sophist' etc. (Progr. d. Realschule in Magdeburg.) 1866. — Alia quaedam suo loco nominabimus.

2) Quod enim olim molitus erat Socherus, ut Sophistam a Platone abiudicaret, id nuper rursus suscepit Schaarschmidtius (Rhein. Mus. XVIII. 1862. p. 1—28) sententiamque suam ab Hayduckio (Ueber die Aechtheit des Sophistes und Politikos. Greifswald 1864. Gymnasialprogramm) et Albertio (Rhein. Mus. XXI. 1866. p. 180 sq.) damnatam, ab Ueberwegio (Gesch. d. Phil. I. p. 101. cf. p. 84. ed. II. Berl. 1865) ut verisimilem receptam iterum sustinuit in libro: Die Sammlung der Platonischen Schriften, Bonn 1866. p. 181—225. cf. p. 96 sq. — Contra quem virum nobis carissimum strenue pugnare subinde coacti speramus fore, ut aut argumenta nostra aut saltem pugnandi modus ipsi haud improbetur.

3) Bonitz, Plat. Stud. II, 285—305. Non sumus nescii, esse qui hanc argumentorum scribendorum operam levem puerisque digniorem quam viris doctis iudicent. quibus suademus, ut cum Bonitzii libro vel cum ipso dialogo alia Sophistae argumenta comparent, non Astii dico vel Stallbaumii, sed id, quod nuperrime suae

tacite, partim ampliore notatione convulsis. Illorum igitur varias de ea re opiniones nolumus retractare, nisi aut ad alia eorum commenta refellenda brevissimum nonnunquam erit ostendere, e falsa de ipsis Platonis sententiis opinione ea fluxisse, aut in eis, quae Bonitzius minus feliciter gessit, iustitiae erit, rectam rationem iam ante illum perspectam suo auctori vindicare. Contra ea, in quibus Bonitzius lapsus est, eo religiosius indicabimus, quo magis libri utilissimi cum bonis simul errores a posterioribus propagatos videmus. quamobrem quae maxime paene omnium laudanda sunt, omnibus paene magis carpentur et videbuntur nonnunquam propter ipsam praestantiam deteriora.

Ac primum quidem totius dialogi nemo non videt duas esse partes, alteram cingentem, cinctam alteram, quarum illa dividenda identidem artis notione iustam sophistae definitionem septemplici conatu quaerat, haec vero illius definitionis gratia difficultates non-entis (*τοῦ μὴ ὄντος*) et deinde entis (*τοῦ ὄντος*) exponat et communi disputatione de generum natura expediat. duas enim esse partes generales, quarum exteriorem bifariam (I A. B) interiorem in tres particulas secandam esse (II A. B. C), ita ut haec oriatur divisio: I A: 221 C—232 B; I B: 232 B—236 E, 264 C—268 D; II A: 237 A—241 B; II B: 242 B—250 E; II C: 251 A—264 B; contra Steinhartum et Susemihlium diverso modo quinque partes statuentes Bonitzius evicit (p. 305—315) [4]. Alia fuit de dividendo dialogo olim magni Schleiermacheri opinio, quam et Bonitzius silentio transmisit, neque nos denuo sollicitaremus, nisi eam recoctam nuperrime iterum proponi videre-

---

de Sophista dissertationi praeposuit vir narrandi arte insignis, Groteus (Plato II, 396—428). Ubi haud pauca perperam referuntur et insequentem de dialogo disquisitionem conturbant, quae Bonitzius recte iam proposuerat.

4) Nihilominus biennio post editum a Bonitzio librum Steinharti divisio recurrit apud Schieferdeckerum (Die dialektische Ableitung der Grundbegriffe in Plato's Sophistes etc. Perleberg 1862. Programm d. Realschule p. 2) ubi multa praeterea perverse disseruntur. At hominem istum, cum Steinhartiana, Susemihliana passim ad verbum describere et pro suis tacite venditare non erubuerit, refutatione dignum non habeo.

mus. Cum enim de tribus potissimum rebus hoc dialogo ageretur, de sophista, de non-ente, de ente, tanquam prima parte alteram, sic altera tertiam includi Schleiermachero (p. 90) placuerat, ita ut locus memorabilis 251 A et tertiam partem et totum opus in medio divideret. Haec videlicet ante oculos habuit Stephanius, cum sic divideret[5]:

c. 1—2 } 8—23 [24—29 (30—36 || 37—39) 40—47] 48—52 {

contra nos:

c. 1—2 { 8—23 [(24—29) (30—36) (37—47)] 48—52 {

Quae igitur nobis una pars est, II C (37—47) eam divisit mediam, tanquam priori particula (37—39) ens, altera (40—47) non-ens enodaretur. at quod illa docetur, id hac exemplis illustratur; totus autem locus II C, cuius quasi thema legitur 241 D (ἀναγκαῖον βιάζεσθαι, τό τε μὴ ὂν ὡς ἔστι κατά τι καὶ τὸ ὂν αὖ πάλιν ὡς οὐκ ἔστι πῃ) ens et non-ens ita tractat coniuncta, ut separari nequeant. nam ens cap. 39 nondum esse transactum satis declarant quae subinde (cap. 40) leguntur 254 C: ἵνα τό τε ὂν καὶ μὴ ὂν εἰ μὴ πάσῃ σαφηνείᾳ δυνάμεθα λαβεῖν κτλ. cui loco cur dubitemus addere alterum 256 B, quem Bonitzius (p. 302 n. 16) ad 249 CD referendum censet, postea apparebit.

Sed haec in transcursu. nunc redeundum nobis est ad partis exterioris divisiones (διαιρέσεις) et sophistae definitiones illis quaesitas. Ac varias quidem virorum doctorum de hac parte opiniones tum recensebimus, cum cognito universo dialogi consilio quantum ad id illustrandum et reliqua omnia et sophista divisionesque faciant sub ipsum fere finem opusculi erit perquirendum; nunc, cum id dumtaxat aga-

---

5) Stephan, der platon. Dial. Soph. p. 8. Hic libellus, quamvis ingenii haud inelegantis testimonium, tamen nullius fere utilitatis est. nam scriptor tantum non totus pendet a Steinharto, aliorum notitiam vix habens. quae contra Socherum fundit p. 4 sq. (Schaarschmidtium enim neglexit) ea leviora esse non poterant. neque desunt insignis de rebus Platonicis inscitiae exempla, ut p. 2 n. 2. omnino autem qui de Platone dicturus reliquorum de eadem re opinionum cognoscendarum operam longam et — fateor — molestissimam evitat, is haud facile quibus respondere operae pretium sit promet et — si licet dicere — quasi ἔξω θείου χοροῦ ἵσταται.

mus, ut solum dialogi consilium qua re contineatur statuamus, satis erit eorum sententiam examinasse, qui in hac parte exteriore, (sive in divisionibus sive in sophistae definitione quaesita inventaque) supremum libri propositum, cui exsequendo quidquid omnino disputetur inserviat, agnoscendum putant. a qua opinione quamquam omnes, prout huic includenti parti plus minusve auctoritatis vindicant, propius longiusve abesse videmus [6]), tamen perpauci sunt, qui eam plenam ac totam amplecti sint ausi. Et 'Platonem in Sophista et Politico cernendi iungendique methodum illustri aliquo exemplo patefacere et commendare voluisse' van Heusdei [7]) fuit olim nemini fere probata opinio [8]) et fortasse Socheri, qui quidem in hoc dividendi negotio prope totam philosophiam a scriptore collocari opinabatur [9]). Contra eius opinionis, qua ad iustam sophistae definitionem inveniendam omnes illas libri disquisitiones institui affirmatur, patrocinium nuper suscepit Schaarschmidtius [10]). Quod ab hoc potissimum

---

6) Proxime ad eam accessit exaggerata Schleiermacheri (p. 88 sq.) de hac parte opinione Stephanius p. 8: 'So widerspricht die ganze Anlage des Dialogs selbst am besten der Ansicht, als sei die Frage nach dem Sophisten nur Nebenwerk, sie ist vielmehr der leitende und für alle andern Erörterungen massgebende Gesichtspunkt, so jedoch, dass die wichtigen philosophischen Erörterungen in der Mitte zwar Glieder in der Kette der ganzen Entwicklung sind, die aber nicht bloss um des Ganzen willen ausgeführt werden, sondern auch abgelöst von dem übrigen ihre Bedeutung haben.'

7) Init. philos. Plat. II, 6. p. 104 sq. ed. I. Traj. ad. Rh. 1827—36 (cito sec. Stallb. p. 36).

8) Quamquam etiam Hermannus (p. 502) hanc dividendi dialecticam Eleaticae et Sophisticae methodo opponi putat ut meliorem, nuperque Groteus similiter haec habet (p. 469): 'it is the method itself of good logical distribution, which Plato wishes to impress upon his readers' — quod quam vere dictum sit mox apparebit.

9) Socher p. 263 cuius verba repetit Schaarschmidtius probatque (Plat. Schr. p. 187).

10) Plat. Schr. p. 218: 'Dieser Zweck, das wird kühnlich behauptet werden dürfen, ist nun kein anderer, als die Darstellung und Definition des Sophisten. — Die ontologischen und logischen Erörterungen — sind also Mittel zum Zweck, nicht der Zweck

factum miror. cum enim ea opinio, qua Platonis nota illa e Phaedro et Philebo dividendi methodus Sophistae et Politici divisionibus exerceri perhibetur, tantum non omnium commendetur consensu [11]), ludibrium vero, quo ipsa illa methodus in his divisionibus perstringitur, neminem qui diligentius eas percurrat possit effugere, ita ut Steinhartus et qui illum sequuntur Platonem sua vineta cecidisse seque ipsum irrisisse voluerint, alii aliter nodum difficillimum solvere sint moliti: quidni Schaarschmidtius, qui Sophistam a Platone abiudicans alio quodam dialogi loco [12]) ipsum doctrinae Platonicae fundamentum refutari haud sine aliqua specie opinatur, sicut illic ideas, ita hic statuit dialecticam Platonis a Platonico quodam posteriori carpi censerique immutandam? Quam rationem, ut Sophista dialogo Platonicae doctrinae et obiectum (ideae) et methodus (dialectica), illud interiore parte, haec exteriore, impugnari putentur, omnibus eis, qui librum Platoni eripiunt — *δίκαιον γάρ, καὶ τὸ τοῦ λύκου εἰπεῖν* — commendatam esse volumus.

Quoniam vero nostra etiam aetate sunt, qui in Sophista sophistam aliudque nihil quaeri putent, age, quid pro ea opinione afferri queat, quid contra dicendum sit, accuratius paullo videamus. Duae potissimum caussae sunt, quibus illa nitatur sententia, prima, quod sophista initio et fine dialogi quaeritur et quidquid instituatur ad hanc unam quaestionem expediendam suscipi aperte dicitur [13]), ita ut haud sine quodam iure Schaarschmidtius suam opinionem commendet ut naturalem [14]); altera caussa est, quod Sophista am-

---

selbst, wobei sich freilich nicht in Abrede stellen lässt, dass sie weitergreifender Bedeutung sind, als unmittelbar erfordert wird.'

11) His enim nititur auctoribus: Schleiermacher p. 88. — Hermann p. 502. — Brandis p. 264 sq. — Steinhart p. 435: 'jene ihm eigene anmuthige Selbstironisirung'. — Susemihl p. 292. — Munk p. 425. — Deuschle p. 308 n. — Zeller, Ph. d. Gr. II, a. p. 700. — Bonitz p. 311. — Grote p. 469.

12) p. 248 A — 249 D. de quo postea dicetur.

13) Quod argumentum post Schleiermacherum (p. 87). bene illustravit Bonitzius (p. 315).

14) Plat. Schr. p. 219: 'So lange Plato als der Verfasser galt, durfte man freilich bei der Sophistik als Zweck des Dialogs nicht

plae trilogiae, qua sophistam, politicum, philosophum tractare unius colloquii tenore scriptori propositum fuerat, primum tantum membrum est, et illius trilogiae quinam esse queat interior nexus, nisi in trium illorum virorum ut simili ita diverso ponatur negotio, ignoratur [15]). Ad quae argumenta ita respondebimus, ut ostendamus, posse sese rem etiam aliter habere, revera enim aliud esse Sophistae propositum deinde studebimus demonstrare. Ac prius quidem illud argumentum, dummodo alia summi consilii statuendi necessitas se offerat, nihil contra eam valet. nemo enim harum rerum gnarus nescit, nihil usitatius esse Platoni, quam propositi gravitatem levi aliqua et fere aliena disquisitione obtegere [16]) et similia effingere opera sua signis illis silenorum, ne cui, nisi qui rite recludere ea sciat, appareant simulacra deorum. Gravius videtur esse alterum argumentum: Sophistam, Politicum, Philosophum continuo sermone persequi Platoni fuerat propositum, neque cum scriberet Politicum ab hoc consilio destiterat [17]). quaeritur igitur, quem nexum interiorem inter

---

stehen bleiben,' (quod eis, qui de Sophista scripsere, non admodum laudi est — si verum est) 'wenn aber Plato nicht mehr der Urheber ist, stellt sich die sachgemässe Ansicht des Inhalts gleichsam von selbst wieder her.'

15) Optime hoc iam Schleiermacherus (p. 88) persecutus est. Quae vero praeterea argumenta attulit, quibus parti exteriori auctoritatem quandam studet vindicare, ea quoniam per se nihil faciunt ad hoc probandum, alio loco perpendemus.

16) Hoc videtur esse, quod Schleiermacherus (Pl. Ww. I, a. p. 35. II, a. p. 6) dixit 'eine besondere fast schwere Künstlichkeit — in der Bildung der einzelnen Gespräche'; 'eine besonders künstliche und fast schwere Construction' nec tamen in ea parte, quam constituit alteram, sola occurrit.

17) Soph. 217 A. Pol. 257 B. — Secus Steinius I, 238: 'Trotz der hierauf zielenden Bemerkungen im Eingange des Sophisten und Politicus ist es daher (quia philosophus in Soph. et Pol. satis iam sit descriptus) in keiner Weise als wahrscheinlich oder wol gar als ausgemacht anzusehen, dass Plato auch nur damals als er jene Worte schrieb, die ernstliche Absicht gehabt habe, durch Ausarbeitung eines "Philosophos" seine Trilogie von Dialogen zu schliessen.' — Quid ei respondemus, qui in tanta certorum de rebus Platonicis testium inopia spernit ipsa certissima?

tria opera intercedere Plato voluerit. de qua re, cum Philosophus desit [18]), quo facilius est, speciosi aliquid conicere, eo est difficilius certam rei condicionem aperire. Hermanni opinio [19]), tres trilogiae partes tribus illis scientiae definitionibus in Theaeteto propositis respondere, ita ut scientia ut *αἴσθησις* in Sophista, ut *ὀρθὴ δόξα* in Politico pingatur; Philosopho autem mansisse veram rationem significatam iam *ὀρθῇ δόξῃ μετὰ λόγου* amplius pertractandam, haec Hermanni coniectura, ut alia taceam, vel propter falsam de postrema Theaeteti parte opinionem corruit [20]). Alio modo Steinhartus tres illos viros componi e triplici ratione, qua homines scientiam tractent, studuit lucido sermone probare, ita fere, ut sophista speciem, politicus usum, philosophus veritatem scientiae obtineat [21]). at primum nescio an e Platonis ingenio rectius dividatur, si et in cognoscendo et in agendo veram et falsam rationem statuamus, quarum illa veritatem et bonitatem, haec speciem et voluptatem contineat, ita, ut quadruplex oriatur partitio, cuius tamen duo membra, verus philosophus et verus politicus apud Platonem efficiunt unum. Steinhartus vero, dum non solum a falso politico verum, sed etiam a vero philosophum segregat, cum illa ipsa Platonis sententia, quae totius reipublicae Platonicae radix est [22]), quam etiam sub rebus in Politico expositis la-

---

18) Nam — ut alias coniecturas mittamus — Parmenidem Philosophi locum explere ipse omnium de Parmenide arbitrorum facile princeps, Zellerus, cum olim cum aliis credidisset (Plat. Stud. p. 194 sq.) nunc non iam audet obtinere (Ph. d. Gr. II, a. p. 346 n. 2).

19) Gesch. u. Syst. p. 498—499.

20) cf. Zeller, Ph. d. Gr. II, a. p. 370 n. 3.

21) Steinhart III, 442. eiusdem verba apud Munk. p. 427 sq — Semel hic monemus quod postea saepe recurret, solere nos eorum, de quibus dicimus, non verba sed sententiam referre; qua re fieri potest, ut eorum opiniones non ubivis assequamur, sive deteriora, sive etiam meliora eis ascribamus, quam ipsi voluerint. quae ratio nisi illorum caussa attamen rei caussa optima est visa, *ἡμεῖς δὲ οὐ τούτων φροντίζομεν, ἀλλὰ τἀληθὲς ζητοῦμεν.* Quo vero commodius quid ipsi dixerint comparari possit, numeros paginarum large ubivis appinximus.

22) cf. locum notissimum reip. V, 473 D.

titare sunt qui putent [23], pugnare mihi videtur. Sed omnino quam opinionem omnes, qui hoc modo trilogiae nexum studuere rimari, praeoccupaverunt, ut inesse revera intimam quandam tribus operibus coniunctionem putent, ne ea quidem opinio mihi satis certa videtur esse. nam in proponendo negotio (Soph. 217 A) ipse scriptor a notis satis fortuitis proficiscitur. quia sophista, politicus, philosophus a vulgo facile confunduntur — quid autem vulgus non confundit! — ideo Socrates Eleatarum de eis opinionem audire cupit. Non dico, nexum non inesse; dico, non ideo, quia coniuncti sunt libri, etiam nexum interiorem esse necessarium. quod idem fere de altera dialogorum serie a Platone iuncta, Politia, Timaeo, Critia, Hermocrate dicendum est. cuius universum consilium adeo non constat, ut quid in Hermocrate Plato fuerit expositurus (cf. Crit. 108 A) satis dubium sit. reliquorum trium nexus quidem apparet, (Tim. 27 AB. 19 C.) sed huius potissimum nexus locique imprimis, quem Politiam inter et Critiam Timaeus tenet, necessitas artis legibus obstricta nescio an omnino nequeat probari. At, dixerit quispiam, quae natura sua non cohaerebant, eane potuit Plato extrinsecus copulare? potuit sane, sive aliam ob caussam, sive ne novo identidem prooemio addito aut sibi ad rem difficiliorem unice intento molestias crearet [24]) aut legentium animos a propositi gravitate averteret.

Sed utut ea omnia, quae ad quaestionem de ordine librorum Platonis restituendo pertinent, se habent, sive nexus sophistae, politico, philosopho inest, sive non inest, sive latet, sive patet, id certe apparet, ex argumentationibus tam dubiis de Sophistae consilio nihil posse concludi, modo aliud statuendi necessitas demonstretur, quod nunc exterioris partis singula quaeque considerando studebimus efficere.

Ac divisiones illas iterum excutere velle, postquam praceunte Schleiermachero (p. 88) in singulis quibusdam

---

23) Susemihl, I, 329. — Deuschle, der platonische Politikos. Magdeb. 1857. (Progr.) p. 17.

24) Nam in ipsis librorum exordiis Platonem haud facile sibi satisfecisse ex eis colligi potest, quae de Politias initio traduntur Diog. L. III, 37. Dion. H. de comp. verb. 25.

Susemihlius (p. 292) in universo instituto Bonitzius (p. 310) vitia deprehendi ostenderunt, nescio an taediosum cuipiam esse videatur. certe necessarium est, cum illorum observationes neque ad plenum de divisionibus iudicium ferendum sufficiant, neque prohibuerint, quominus etiam hodie diversis a partibus sententiae de ea re ferantur maxime perversae. cum enim ipsa illa in dividendo vitia fusius persequi eorumque caussam aperire e re fuisset, Groteus (p. 469) ea omnino neglexit, Albertius [25]) autem et Stephanius (p. 11 sq.) oculos ab eis avertunt, tanquam laudando alias res vitia illa excusarentur, Schaarschmidtius vero [26]) quidquid vitiosi et inepti in divisionibus reperitur benigne amplectitur, haud satis secum reputans, ea, quae iam tractaturi sumus, si ab alio quam a Platone essent profecta, non faciliorem habere explicationem sed multo difficiliorem.

Sed iam tempus est in ipsum Sophistam descendere et paucis de numero definitionum praemissis primum dicere de divisionibus et sophistae definitionibus, quae ante mediam partem, deinde de eis, quae post illam leguntur.

Habebis igitur definitiones si ipse cum Platone diligenter numeras usque ad cap. 19 (231 C), quinque (cf. 225 E: *τέταρτον*). quae dum cap. 19 consummantur subito sex sunt factae [27]); scilicet definitionem tertiam 224 D E, per se iam satis exilem, in duas dispescuit. quae mera scriptoris neglegentia est [28]). Nos cum ultima, quae finem dialogo imponit, septem numeramus.

---

25) Rhein. Mus. 1866 p. 192. ubi dum divisionum 'ieiunitatem minutamque subtilitatem' excusat, ipsa contraria, quam quae sunt, eis vindicavit. non satis ieiuna sunt, quippe quae luxurientur imaginibus, non satis subtilia, scatent enim neglegentiis.

26) Plat. Schr. p. 187—192. Omnium fere Schaarschmidtii argumentorum caput est, quod divisiones serio vultu promuntur et in Politico repetitae etiam a scriptore defenduntur. quae omnia rectissima sunt praeter unam voculam: non a scriptore defenduntur, sed ab hospite quodam Eleatico.

27) Id quod iam a Schleiermachero (not. ad 231 D. p. 335) et Bonitzio (p. 308 n. 24) observatum est.

28) Et per se quidem veniam habeto! quod enim nostris quibusdam doctissimis accidit, Stallbaumio (p. 16) ut secundam fa-

His igitur septem sophistae definitionibus praemittitur ad methodum exercendam definitio piscatoris 219 A—221 C, in qua quaenam 'logica vitia' Schaarschmidtius dicat inesse (p. 183) nescio, nisi forte id ita appellavit, quod ad animalia dividenda fundamentum divisionis e loco petitur, ubi solent commorari 220 AB, ita ut ab altera parte animalia pedestria, ab altera natantia stent, in haec autem, prout aut per aerem volent aut in aqua reperiantur, duplex venationis genus statuatur, ὀρνιθευτική aut ἁλιευτική. Hanc divisionem si Aristoteles vituperavit (quod quidem satis dubium est) suo iure fecit [29]. apud Platonem accurata naturae contemplatione alieniorem per se nihil habet offensionis; nisi quod comparato simili Politici loco 264 E apparet inconstantia; ibi enim non ut hic animalibus terrestribus aves et pisces sed piscibus aves et terrestria tanquam unum genus opponuntur. Ceterum haec praemissa piscatoris definitio omnium, quae dividendo in Sophista efficiuntur, optima est.

Quae enim deinde secundum hoc exemplar instituuntur sophistae definitiones, eas ne pro seriis accipiamus ipse scriptor optime providit. iamque in ipso initio apparet quod harum divisionum naturam legenti possit denudare. ut enim ad 'hominum venationem' (ἡμεροθηρικήν) perveniatur, hospes statuit venationem animalium ferorum et cicurum 222 B. Theaeteto deinde hoc miranti: εἶτ' ἔστι τις θήρα τῶν ἡμέρων; haec respondet: εἴπερ γέ ἐστιν ἄνθρωπος ἥμερον ζῷον. θὲς δὲ ὅπῃ χαίρεις, εἴτε μηδὲν τιθεὶς ἥμερον, εἴτε ἄλλο μὲν ἥμερόν τι, τὸν δὲ ἄνθρωπον ἄγριον, εἴτε ἥμερον μὲν λέγεις αὖ τὸν ἄνθρωπον, ἀνθρώπων δὲ μηδεμίαν ἡγεῖ θήραν. τούτων ὁπότερ' ἂν ἡγῇ φίλον εἰρῆσθαί σοι, τοῦτο ἡμῖν διόρισον [30]. quis haec legens non meminit Dionysodori illud ex

---

ceret tertiam, Steinharto, ut (p. 438. 446) septimam (sextam) diceret quintam, Susemihlio (p. 292) ut Steinhartum etiam in hoc fideliter sequeretur, id Platoni, utpote minus docto, facile ignoscimus.

29) Ar. de part. anim. I. 2. 642 B. 10. de hac re optime disseruit Ueberweg, Untersuchungen p. 153. cf. Schaarschmidt in Rh. Mus. 1862 p. 2 sq. Hayduck p. 5. Schaarschmidt Plat. Schr. p. 102 sq.

30) Sine caussa Hermannus (praef. p. XXIV editionis Teub.

Euthydemo 275 E: ὁπότερ' ἂν ἀποκρίνηται τὸ μειράκιον, ἐξελεγχθήσεται! sic hic quoque hospes: 'quidquid respondebis, artem meam definiendi probabo'. homo animal cicur aut est aut non est. hominum venatio aut est aut non est. tertium excluditur hic et illic. cum igitur verum in utroque esse nequeat, Theaeteto autem quidlibet abnuendi libera potestas fiat, quid hinc consequitur? disertius Plato significare nequivit, non veram rei naturam in his divisionibus quaerendam esse sed bellum quoddam artificium, quale, praestigiarum instar, eo maius audientibus solet videri, quo minus antequam factum est fieri id posse intellegitur. Haec sententia confirmatur immanibus, quae deinceps in dividendo occurrunt neglegentiis licentiisque, quae aut consulto a scriptore admissae sunt suamque sibi postulant explicationem, aut cogent nos abdicere librum non a Platone solum, sed paene a quovis vetere scriptore. sed ante omnia ipsas videamus.

Quod in def. I sophistae propositum esse dicitur, ut adulescentes venetur 222 A, id eiusdem definitionis sub finem alio pecuniae captandae proposito obscuratur 223 A, in consummatione 223 B iterumque 231 D utrumque legitur coniunctum [31]). — Quamvis 219 D χειρωτικήν bifariam diviserint, τὸ μὲν ἀναφανδὸν ὅλον ἀγωνιστικὸν θέντες, τὸ δὲ κρυφαῖον αὐτῆς πᾶν θηρευτικόν, nihilominus 222 C huic clandestinae θηρευτικῇ subiungunt τὴν μὲν λῃστικὴν καὶ ἀνδραποδιστικὴν καὶ τυραννικὴν καὶ ξύμπασαν τὴν πολεμικήν, ἓν πάντα βίαιον θήραν ὁρισάμενοι! — Contra 222 D κτητικῇ δωροφορικὴν subiunctam reprehendens Susemihlius (p. 292) τῇ τῶν

---

vol. I) hunc locum sollicitavit. ac ne διοριστέον quidem e Bodl. recipiendum est. nam διορίζειν hic non est 'definire' sed 'statuere'. et statuendi libera potestas postquam Theaeteto permissa est, non iam hospitis est statuere sed statutum recipere. — ceterum ὁπότερα non ad posteriora duo cum Stallb. sed ad totam seorsim iudicandi libertatem traxerim, ita ut Theaeteto permittatur utrumque, aut sententiam ab hospite propositam amplecti, aut aliud quodlibet ponere.

31) Hanc duplicis propositi inconstantiam scriptorem non praeteriisse patet e verbis, quibus alteram def. addendam ostendit 223 C: καὶ γὰρ οὖν ἐν τοῖς πρόσθεν εἰρημένοις φάντασμα παρέχεται, μὴ τοῦτο, ὃ νῦν αὐτὸ ἡμεῖς φαμέν, ἀλλ' ἕτερον εἶναί τι γένος

ἐρώντων θήρᾳ τὸν νοῦν, ὡς ἔοικεν, οὔπω προσέσχεν. — Grex vitiorum deinde latet initio def. II, 223 C. ac primum in verbis: *τὸ τῆν κτητικῆς τέχνης διπλοῦν ἦν εἶδός που, τὸ μὲν θηρευτικὸν μέρος ἔχον, τὸ δὲ ἀλλακτικόν* neque coniectando cum Heindorfio neque contorte interpretando cum Stallbaumio scriptori obtrudere volumus diligentiae quam ipse sprevit laudem. nam *ὄν* vocabuli post *ἀλλακτικόν* sive coniectura sive cogitatione supplendi nulla idonea caussa est. immo naturalem verborum ordinem intuentes sic construimus: *τὸ τῆς κτητικῆς εἶδος ἦν που διπλοῦν, μέρος ἔχον* (sc. *τὸ εἶδος*) *τὸ μὲν θηρευτικόν, τὸ δὲ ἀλλακτικόν*, cum quibus conveniunt Schleiermacheri, Muelleri, Deuschlei interpretationes. iam vero cum supra 219 D *κτητικῆς* fuerint *μεταβλητική* et *χειρωτική*, huius *ἀγωνιστική* et *θηρευτική*, hic est *κτητικῆς ἀλλακτική* (i. e. *μεταβλητική*) et *θηρευτική*, nepte iam in filiae locum succedente. quod vero *ἀλλακτική* nunc dicitur quae ante fuerat *μεταβλητική*, id parsimonia quadam fit, quia *ἀλλακτικῆς* deinde fiunt *δωρητική* et *ἀγοραστική*, huius *αὐτοπωλική* et — *ἡ τὰ ἀλλότρια ἔργα μεταβαλλομένη* — *μεταβλητική*. nihilominus in consummatione 224 D addita ad pristinum ordinem recurritur, *κτητικῆς* fit *μεταβλητική*, quae cum deinde inter *ἀγοραστικήν* et *ἐμπορικήν* repeti debeat, simpliciter omittitur. ad hunc locum Stallbaumius imitatus operam Schleiermacheri in simili loco 223 B ingeniosam et ab omnibus fere probatam nec tamen ab omni parte felicem[32]) 'hic quoque', inquit, 'omnia turbata sunt'. quam vero deinde procreat coniecturam, eam — mali patris instar — paucis versibus post 224 E, ubi necessario erat repetenda (nam ibi rursus legitur *τὸ κτητικῆς ἄρα μεταβλητικόν, ἀγοραστικόν*) prorsus obliviscitur. nimio igitur suorum amore — quod plerisque fieri solet — hic non laborat. sed redeamus ad locum 223 C. restat enim ibi maximum vitium et ab aliis iam observatum, quod

---

32) Legendum enim censemus 223 B. sic: *ἡ τέχνης οἰκειωτικῆς, χειρωτικῆς, θηρευτικῆς, ζωοθηρίας, χερσαίας, ἀνθρωποθηρίας, ἰδιοθηρίας, μισθαρνικῆς, νομισματοπωλικῆς, δοξοπαιδευτικῆς*, vel, nisi audacius est, *νομισματοπωλικοδοξοπαιδευτικῆς*. At ea firmare huius loci non est.

ἀλλακτικῇ, quae pars fuerat κτητικῆς, subditur δωρητική. quamquam fortasse fieri potest, ut 'dona dandi accipiendique' artem simul δωρητική significet, quae ratio habet aliquid commendationis e loco, ad quem haec respiciunt 219 D: κτητικῆς δὲ ἆρ' οὐ δύο εἴδη; τὸ μὲν ἑκόντων πρὸς ἑκόντας μεταβλητικὸν ὂν διά τε δωρεῶν καὶ μισθώσεων καὶ ἀγοράσεων. — Venimus ad def. III, 224 DE, quae 231 D pro III et IV numeratur. haec a def. II duabus tantum rebus differt. illic enim per ἐμπορικήν, hic per καπηλικήν descenditur; illic non αὐτοπωλική sed μεταβλητική placuerat, hic utraque admittitur (τὰ μὲν ὠνούμενος, τὰ δὲ καὶ τεκταινόμενος αὐτός). at in consummatione, quae subinde sequitur, insigne vitium est. cum enim ab ἀγοραστικῇ per αὐτοπωλικήν simulque per μεταβλητικήν ad καπηλικήν descendendum fuisset, perverse ἀγοραστικῇ nunc subiunguntur καπηλικὸν εἴτε αὐτοπωλικόν, ἀμφοτέρως, tanquam haec sibi essent opposita et non potius καπηλική cum ἐμπορικῇ, αὐτοπωλική cum μεταβλητικῇ antea fuissent copulatae. ita ut animus averet delere verba εἴτε αὐτοπωλικὸν ἀμφοτέρως (cum enim utrumque divisionis membrum huc pertineat, utrumque poterat omitti) nisi et consummatio 231 D errorem firmaret, ubi haec ipsa duo membra καπηλική et αὐτοπωλική tertiam et quartam definitionem efficiunt, et erroris origo manifesta esset comparato Politici loco 260 C, ubi αὐτοπωλικῇ re vera opponitur καπηλική. — In def. V, 225 A τῆς κτητικῆς ἀγωνιστική τι μέρος dicitur, quod rectum est praeterquam quod non divisione sed subdivisione ad eam pertinebat. — Deinde ἁμιλλητικόν μαχητικῷ oppositum quomodo ad κτητικήν pertineat difficile est dictu. ut enim concedamus Stallbaumio, ἁμιλλᾶσθαι de eis dici, 'qui cum alio de praestantiae in aliquo genere laude certent', tamen haec laus non vi ac manibus alii, qui eam possidet, eripitur, sed a spectantibus ultro datur. — Sed ea imprimis lepida irrisio hanc totam partem penetrat, quod τῇ κτητικῇ, arti humilem quaestum comparandi, omnes istae artes subiunguntur, non solum ἀσπαλιευτική, ἐμπορική, καπηλική, αὐτοπωλική, sed etiam μαχητική, ἁμιλλητική, ἐριστική, δικανική, ἐπιδεικτική, πιθανουργική et ante omnes identidem ipsa σοφιστική. Quod studium scriptorem etiam eo adduxit, ut tandem in κτητικῇ inveniatur quaedam χρηματο-

φθορική, nimirum — ut patet 225 D — ars ἀδολέσχου, quam artem nemini ignotam quod Steinhartus (p. 444) de philosophis eristicis, Megaricis potissimum, accipit, id facile infelicissimum est eorum, quae nimium interpretandi omnia studium in Sophista produxit, quamquam infelicius etiam Susemihlius hanc rem gessit, qui χρηματοφθορικὴν 'sine dubio' de Megaricis dictam putat (p. 291) eisque etiam adiungit Antisthenem (p. 310). — Iam denique illud quoque intellegetur, quod quaerendum video sed non quaesitum, cur def. VI, qua non sophistam sed philosophum inveniri Bonitzius luculenter ostendit (p. 308 n. 24), non ab artis notione in universum sed a certo purgandi negotio proficiscatur. cum enim artis duas partes Plato statuisset, ποιητικὴν et κτητικὴν — quae duabus κινήσεως partibus Theaet. 181 CD, Parm. 138 B propositis respondent, ἀλλοιώσει ποιητική, κτητική φορᾷ — ποιητικῇ eam subiungere non poterat nisi hic iam in partis mediae dubitationes incidere volebat, κτητικῇ autem eam subdere nolebat — quod quidem eodem iure vel potius eadem iniuria, qua alia quaedam ei subegit, facere potuisset — ne diva philosophia servili κτητικῆς generi, cui reliqua omnia parent, subdita inquinaretur. immo contraria eius natura vel diverso deducendi modo significatur. Ceterum in hac sexta divisione bona malaque miro modo permixta inveniuntur. nam — ut alia taceam — cui non placebit, erroris refutationem ut purgationem quandam animae proponi? contra, cui non displicebit modus, quo hoc in divisionum quasi tormentis distrahitur? — sed praepropere ῥητορεύομεν. multis enim hoc quoque placuit. neque id quidem mirum; sunt enim quibus omnia soleant placere. nobis autem, utpote qui malimus intellegere quam admirari, quomodo placere potest, quod purgandi imagini praeter falsarum opinionum expulsionem etiam subiungitur inscitiae, rei mere negativae, emendatio? quam enim lacunae explendae comparari facile patiaris, eam hic sub labis eluendae imaginem videmus coactam. quod intolerabilius etiam apparebit, si spectaveris, quae inde consequantur. subiungitur enim propterea καθαρτικῇ tota docendi ars, διδασκαλική 229 B, id est non solum omnis παιδευτική, sed etiam ea ars, qua αἱ δημιουργικαὶ διδασκαλίαι traduntur 229 D! — accedit, quod, cum ψυχῆς καθαρ-

τική in *πονηρίας* et *ἀγνοίας* expulsionem divisa sit, huic subditam videamus totam *νουθετικήν* (*ᾧ πρὸς τοὺς υἱεῖς χρῶνται, ὅταν αὐτοῖς ἐξαμαρτάνωσί τι*), quae non minus ad illam pertinet. — sed maximum fere malum est, quod, dum ut in corpore *νόσος* et *αἶσχος*, ita in anima *πονηρία* et *ἄγνοια* dicuntur esse, contorta illa *ἀγνοίας* cum *αἴσχει* comparatio oritur 228 C. qui locus dignus est, in quo paullum moremur. *ἄγνοια* est *αἶσχος*, quia *ἀμετρία* est. omnis enim *ἀμετρία* turpis est. bene. sed quomodo *ἄγνοια* fit *ἀμετρία*? res est paullo difficilior. 'certum aliquem finem petimus. ad quem assequendum certis instrumentis utimur. quibus si eum assequimur *συμμετρίᾳ* fit, si non assequimur, *ἀμετρίᾳ*. sed *συμμετρία*, *ἀμετρία* ibi demum sunt, ubi duae res comparantur. potest autem hic nihil aliud comparari, ac finis, quem petimus, et instrumenta, quibus eum petimus. horum *συμμετρία* est apud eum, qui scit, *ἀμετρία* autem apud eum, non qui nescit, sed qui errat. quodsi interpretes hoc loco *ἀγνοεῖν* per 'errare' transferunt, rem assequuntur sed non scriptoris opinionem, cui *τὸ μὴ κατειδότα τι δοκεῖν εἰδέναι* i. e. error non *ἄγνοια* est sed pars *ἀγνοίας* (229 C). sed haec etiam minora sunt. restat enim difficultas maxima haec: sit *ἄγνοια* (error) impar ratio (*ἀμετρία*) finis, qui petitur, et instrumentorum, quibus petitur. sequitur hinc, veritatem et scientiam positas esse in finis instrumentorumque concordia (*συμμετρίᾳ*). at subito scena mutatur. nam scriptor, nixus sententia 'neminem errare volentem' subinde finem ponit veritatem et scientiam, *ἄγνοιαν* ab eis aberrationem. quibus omnia conturbat. quae enim ante fuerat in fine petendo adiutrix, veritas seu recta instrumentorum et finis cognitio ac scientia, ea nunc in ipsius finis locum successit. *ἄγνοια* autem, quae supra erat mala quaedam et *ἄμετρος* mentis condicio, ea nunc fit ipsa a fine petito aberratio. non igitur iam condicio est sed actio ex illa condicione profecta. — Haec detrimenta definitionis VI si cum eiusdem virtutibus comparantur, perquam verisimile faciunt, profectum esse scriptorem a pulcra illa et Platone digna erroris cum macula purganda comparatione, deinde vero huius iudicii: *ἐλεγκτική* est *καθαρτική*, terminos, quos recte coniungi per se patebat, divisionibus illis parum naturalibus obscurasse magis quam illustravisse.

Haec fere vitia sunt, quibus priorem divisionum congeriem perrepentes offendimus. Duplex eorum in universum genus est; partim enim neglegentia, partim in methodi ludibrium admittuntur.

Ac neglegentiae maximae varia illa vestigia si ut hac in parte ita per reliquum etiam opus occurrerent, non dignus esset Sophista, qui legeretur. cum vero in media operis parte, ut videbimus, prorsus e contrario omnia eximia cum diligentia agantur, necessario sequitur, non inertiae scriptoris sed certo eius proposito tantam in dividendo incuriam esse ascribendam. primumque apparet, ipsum his divisionibus non multum tribuisse. deinde etiam vix dubium esse potest, quin consulto ista immiscuerit, ne legentes huic parti magnum pretium statuant aut a potioribus rebus detineantur, quae medium dialogum ornant. cur vero his tam ridiculam farraginem omnino praestruxerit, synthetica parte quaeretur.

In praesens satis erit et hoc statuisse et alterum illud, quod haec dividendi methodus non solum a scriptore contemnitur sed etiam aperta irrisione tractatur. huc pertinent varia illa, quae attulimus, summae licentiae vestigia, qua quod supra exclusum erat infra recurrit artisque cuiuspiam notio tamdiu secatur, donec reperiatur in ea, quod ei ipsi e transverso oppositum sit. accedunt partitiones identidem contra rei naturam e fortuitis et fere ridiculis notis institutae, accedit, quod eaedem artes modo hic modo illic contrariis sub generibus emergunt. Et — id quod egregie monuit Bonitzius (p. 310) — cum adhibitae illius bipartiendi methodi potissima laus in certa progrediendi ratione sit posita, qua cautissime omnia aliena subinde excludantur donec restet sola et sincera rei quaesitae notio, eo irrisionis scriptor escendit, ut sophistica diversis seque invicem excludentibus notionibus subiungatur.

Quid mirum, quod etiam definitiones sophistae hac ratione procreatae suam originem redolent? primum enim non una definitio sed sex reperiuntur eiusdem rei. tum vero hac methodo non cavetur, ne res maxime diversae, sophistica et philosophia confundantur. apparet enim haec, cum illa quaesita sit in def. VI. quantum vero reliquis definitionibus sit tribuendum, id addita cap. 19 consummatione scriptor

ostendit, ubi haud sine ioco pro totidem sophistae definitionibus apparent *θηρευτής, ἔμπορος, κάπηλος, αὐτοπώλης, ἀθλητής*. et sicut initio huius de sophista disputationis quid exspectandum sit Plato loco 222 B, de quo diximus, significavit, sic sub eiusdem finem 232 A et definitiones adhuc inventas non sufficere et cur non sufficiant disertis verbis declaravit.

Quid vero iam Schaarschmidtio respondemus, qui varia illa et diserta ipsius scriptoris indicia adeo sprevit, ut serias omnes illas divisiones proponi serio ipse vultu asseveret? quid, quod ne verbo quidem attigit ingeniosam coniecturam, qua Bonitzius miras illius partis offensiones studuit explicare?

Nam Bonitzius, cum eum varia ioci et irrisionis per primos sex sophistae quaerendi conatus vestigia nequaquam fugerint, nihilominus autem eandem dividendi rationem repetitam videat in ea sophistae definitione, quae, utpote finem toti operi imponens, Platoni quoque videatur satisfacere, ea tamen differentia, ut tum demum, postquam sophistae definitio iam ad certum quendam finem pervenerit, ad subiungendam illam dividendo artis notioni recurratur: id ipsum hoc instituto censet a Platone declarari, posse hanc divisionum methodum tum demum cum fructu adhiberi, cum inventis iam antea summis et praecipuis rei definiendae notis et universa descendendi via et singula divisionum fundamenta ex ipsa rei quaesitae natura satis certe possint determinari [33]). Huius opinionis, si quis demonstraret, ne extremis quidem illis divisionibus Platonem sophistae definitionem serio absolvere voluisse, ipsam radicem demeteret. quod conari cum nobis propositum sit, strenui adversarii strenuos eosque multos socios videmus esse. nam sophistae quaesito satisfieri ultima illa, in quam dialogus desinit, definitione propemodum omnium opinio est. At nostris quoque partibus accedit ex insperato commilito, Schaarschmidtius. quamquam

---

33) Bonitz, Plat. Stud. II, p. 310. 311: Platonem vitiis illis videri declarasse 'dass erst nach gewonnener Einsicht in die wesentlichen und charakteristischen Merkmale des Einzelobjectes der Forschung sich die Einreihung desselben in eine umfassende Gliederung mit Sicherheit vornehmen lasse' etc.

interest aliquid: nam scriptorem definitione postrema sophistae naturam absolvere et voluisse et potuisse cum plerisque putat Bonitzius, voluisse sed non potuisse Schaarschmidtius, ne voluisse quidem nos censemus. — Sic stant acies.

Antequam septimam definitionem excutimus, alia quaedam contra Bonitzium praemittenda sunt. Censet Bonitzius, Platonem in hac ultima definitione invenienda alium et diversum cursum tenere, quam in reliquis. illic enim eum ab universa notione ad sophistam descendere, hic a singulari nota exirê inventumque demum 'aliquatenus' [34]) sophistam divisionibus artis notioni inserere (p. 307 sq.). quod non prorsus verum est. sicut enim in definitione sexta a domesticis quibusdam negotiis 226 B ad *διακριτικήν* ascendebatur, deinde ab hac per *καθαρτικήν* aliaque deinceps membra ad germanum illum sophistam descendebatur, eodem modo in septima ab arte 'contradicendi sine cognitione' ascenditur ad *εἰδωλοποιϊκήν* 235 B seu *μιμητικήν* 235 C, deinde vero hospes iam ad sophistam descensurus iamque de eo triumphaturus 235 C, dum dubitat, utri *εἰδωλοποιϊκῆς* parti, *εἰκαστικῇ* an *φανταστικῇ* illum subdat, subito 236 C circumfunditur tenebris, quibus collustrandis tota dialogi pars inclusa (II A B C) inservit. simulatque vero haec satis enodata sunt, omissam de sophista disputationem eodem puncto, quo reliquit, recipit, ita ut si qua peritiore manu exsecaretur tota illa pars media, vix sentiretur lacuna. quod vero deinde ab *εἰδωλοποιϊκῇ* non statim ad sophistam descenditur, sed antea illius origo a *ποιητικῇ* repetitur, id, cum modum quo fit considero, leve mihi nulliusque fere momenti videtur esse. — quod quidem argumentum precarium est. sed in artis operibus explicandis occurrunt, in quibus acquiescendum videatur esse lectoribus ad suum de re proposita sensum delegatis [35]).

---

34) p. 310: 'erst nachdem die nach der zweiten Methode gesuchte Definition bereits zu einem bestimmten Abschluss gelangt ist' etc.

35) Multo minus luctaremur in refutanda et Bonitzii et aliorum de divisionibus opinione, si nobis licere putaremus argumenta repetere e Politico eiusque divisionibus. ubi non solum nihil reperitur, quod Bonitzii rationem possit firmare, — idque in hac re idem est

Sed quid, cum certa suppeditent, sensum aestheticum, rem tam dubiam imploramus? nolumus exorare quae exposcere possumus. profligabitur enim Bonitzii coniectura ipso septimae definitionis instituto paullo accuratius considerato, simulque tandem illa quaestio, sitne dialogi consilium in hac exteriore parte quaerendum, ad exitum ducetur.

Quamquam nequaquam totam hanc partem contemnendam censemus. in qua et alia multa egregia [36]) et haec imprimis sententia, ut interiori parti proxima, ita omnium, quae de sophista hoc libro disseruntur, longe praeclarissima mihi videtur esse, sophistam non rem sequi sed speciem, non veritatem sed mendacium. hoc dicto grandius pleniusve de eis, quos Plato dicit sophistas — nos enim iam aliter de illis rectiusque iudicamus — neque aliud quidquam apud philosophum dici memini, neque laudatum illum a Schaarschmidtio (p. 197) laudandumque reipublicae

---

quod refutatio — sed etiam omnino, tanquam vera Sophistae prius editi ratio iam tum quosdam fugerit, multo apertius tota haec methodus et dum adhibetur et dum commendatur, immani perstringitur ludibrio. modo tecum reputes, quid per prima X capita quaeratur, quomodo quaeratur, quas dividendi regulas Eleates promat. — Sed sunt praeterea — fateor — in Politico, quae minus expeditam habeant explicationem; saepe enim seria et iocosa, egregia et inepta miro modo coniuncta reperiuntur. Quamobrem satius duximus, et hic et omnino ad Sophistam explicandum in Sophista consistere. ex quo quae statuerimus, eis e Politico quivis postea poterit petere aut certiorem affirmationem aut refutationem facillimam.

36) Quibus imprimis ea adnumeraverim, quae de iuvene dei fidem senis auctoritate accipiente 265 D leguntur. quamquam de his quoque diversa iudicia: Steinhart p. 433: 'Schwerlich wird man für eine rein und harmonisch gestimmte Jünglingsseele ein bezeichnenderes Lob finden, als jenes Wort unseres Eleaten, dem Theaetet brauche man die von so Vielen bestrittene Wahrheit, Alles sei durch Gottes Willen geworden, nicht erst zu beweisen, da ihn seine treffliche Natur ganz von selbst und ohne Belehrung zu dieser Erkenntniss hinziehe.' Schaarschmidt p. 185: '(der Jüngling ist) recht haltungslos und zuweilen selbst albern, z. B. da, wo er in altkluger Reflexion über seine jugendliche Urtheilslosigkeit sich ergehend den Monotheismus auf Autorität des Eleaten annehmen zu wollen erklärt.' — Haec, ne quis falso a nobis sensum aestheticum accusatum queratur!

locum (492 A sq.) amplius exprimere sophistae naturam possum concedere. nec minus digna Platone illa sunt, quae etiam in definitionis ultimae tenebris emicant, sophistam ea, de quibus dicat, ignorare eiusque ignorantiae sibi ipsum esse conscium (*δοξαστικόν* — *εἰρωνικόν*), ita ut ne ei quidem, qui inscriptione libri inducti Sophistam adeant sophistam cogituri, operam perdant. modo ne — ut plerisque accidit — manifestam speciem secuti ibi eum quaerant, ubi, si serio res ageretur, maxime esset quaerendus, in definitione ultima eisque, quibus congeritur, divisionibus. quod probaturi, ut antea, sic hic quoque primum de divisionibus, tum de definitione dicemus.

Et in divisionibus quod non plura neglegentiae et licentiae vestigia apparent, id inde videtur fieri, quod aliae cognatae, quibus sicut sex illae priores comparari possint, hic desunt. quod vero Bonitzius censet, scriptorem vitia, quae illic consulto admiserit, hic consulto evitasse, id verum non esse etiam parciora vitiorum exempla docebunt. et id quidem priorum divisionum neglegentiae largiemur, quod *ἀντιλογικός*, qui in def. V *κτητικῇ* erat subiunctus, nunc ad eam sophistae definitionem inveniendam adhibetur, quae tota sub *ποιητικῇ* est, 232 B, neque deest in definitione ultima, quamvis — est enim iam *ἐναντιοποιολογικός* — veste speciosiore indutus. — Certior neglegentia est, quod *μιμητική*, quae 235 C eadem fuerat, quae *εἰδωλοποιϊκή*, postea, 267 A vi mutata *φανταστικῇ* et huius intercessione *εἰδωλοποιϊκῇ* subditur. in quo quamvis dumtaxat duplici eiusdem vocis vi peccari dicere quispiam possit, evitasset tamen etiam hoc scriptor, si divisiones accurate procedere eius interfuisset. — Eodem loco licentiae opprobrium scriptori faciendum est. cum enim *φανταστική* — ea ars, qua in imitando id adpetitur, ut species rei non sit sed videatur similis[37]) — e rei natura in rerum aut visibilium aut invisibilium imitatione suum habeat divisionis fundamentum, debueritque ad eam divisionem perducere distinctio supra instituta (233D—234B) inter eum, qui res facere

---

37) p. 235 D—236 C. — Scenographia (die perspectivische Malerei) huius artis aptissimum exemplum est. nec tamen hoc Plato utitur, ut plerique somniant, sed prorsus alio.

eumque, qui scire se eas ementitur: e contrario et ridicule dividitur ex eo, prout imitatio cum instrumentis vel sine instrumentis fiat — ridicule, nam, ut exemplum afferam, in comoedia is, qui senem agit, prout baculo utitur aut non utitur ad hanc aut illam partem pertinebit.

Sed veniamus tandem ad definitionem, quae extrema occupat. quae, cum prima definitionis virtus sit, ut rem definiendam illustret, adeo est contorta et obscura, ut per se omnino intellegi nequeat [38]; cumque praeterea imprimis cavendum sit, ne definitio definito suo sit latior, neve angustior, utrumque vitium in hoc monstro occurrit. Angustior definitio est: nam non solum *τῷ ἐναντιοποιολογεῖν*, alios refutando et conturbando, sophistae delectabantur sed aliis permultis variisque artificiis, id quod neque Schaarschmidtium (p. 195) neque Platonem fugit, cuius rei testes sunt Protagorae, Gorgiae, Hippiae, Thrasymachi. Eadem definitio, ne quoquam definiendi vitio careat, latior est: nam non omnia, quae ad sophistae notionem necessario pertinere ipse Plato est auctor, complectitur, velut hoc, quod quidquid faciunt ad gloriam et imprimis ad divitias parandas suscipiunt, aliaque permulta, quae per primam Sophistae partem passim occurrunt. An haec definitio non sola sed coniuncta demum cum sex illis prioribus sophistam absolvit? tum tantum profecimus, ut pro sex septem iam habeamus, de quibus (232 A) *δῆλον, ὡς ὁ πάσχων αὐτὸ πρός τινα τέχνην οὐ δύναται κατιδεῖν ἐκεῖνο αὐτῆς, εἰς ὃ πάντα τὰ μαθήματα ταῦτα βλέπει.* Sed quid multa? nonne vel caeco apparet, scriptorem, qui per totum librum apte et distincte loquatur, cum hic, ubi maxime debuerit esse subtilis, toto quasi flumine obscuritatis et ridiculae confusionis subito nos perfundat, iocari et cavillari?

Quamobrem, cum neque in dividendo neque in definiendo quidquam sani prodeat [39], desinamus tandem in

---

38) Rectissime de ea iudicavit Schaarschmidtius (p. 218 n. 4), nisi quod iocari non intellexit.

39) Accedunt aliae caussae, quas a Bonitzio (p. 315—16) optime expositas nolumus repetere. quamquam cautius iusto censet idem, mediae parti esse 'vielleicht die hauptsächlichste Bedeutung

quaerendo sophista supremum libri propositum vel etiam secundarium conspicere, desinamus has divisiones sive omnes sive posteriores arte Platonis celebrataque eius dialectica dignas habere! Quamquam haec omnia plenam fidem tum demum habebunt, cum etiam illud, quem ad finem tota haec cingens pars a summae artis scriptore reliquis sit circumiecta, a nobis erit cognitum. Iam vero cur haec omnia Plato instituerit, cur naturam sophistae breviter et optime significatam simul cum studiis varii viri vagis et versicoloribus unius ac certae definitionis claustris coercere sive noluerit sive nequiverit, cur hospitem Eleaticum taediosas illas et ineptas divisiones promentem induxerit, cur denique ad ima philosophiae sacra aditum hac ridicula et vere silenica facie obstruxerit: ea omnia plene et lucide, speramus, apparebunt, postquam rerum molestarum explicatione nimis diu iam implicati tanquam duri laboris dulce praemium ipsius illius philosophi *ἀγάλματος* nobis permiserimus contemplationem.

Antea vero sub huius partis finem accipe denique parvum quasi *δρᾶμα σατυρικόν*. Groteus, nescio iocatus an parum a nobis intellectus, Dianae similis, sophistae strenua venatione vexati patrocinium suscepit contra Platonem, hoc modo: primum: duo sophistae nomina, *ἐναντιοποιολογικός* et *εἴρων* ad Socratem magis quam ad sophistas pertinent. idem Socrates *νέων πλουσίων καὶ ἐνδόξων θήρας* (222 A) magis noxius est quam sophistae (Grote p. 428—29). Contra alia duo in sophistam opprobria, quod omnia se scire simulet (233 A), quod *δοξαστικήν τινα ἐπιστήμην* habeat (233 C), ad ipsum Platonem redundant. illud enim vitium passim in libris Platonicis, hoc in Timaeo committitur (Grote p. 431 sq.). — Et ad haec quidem Grotei *παράδοξα* iustum responsum legitur Soph. 231 A. Quod vero deinde idem Platoni obicit, eum, cuius negotium *τὸ ἀντιλέγεσθαι* sit, non posse induci omne *ψεῦδος* negantem [40]), id nemo concedet, qui meminerit, quo-

zuzuschreiben,' quae verba neque artis necessitatem neque consilii unitatem desiderantibus placebunt.

40) Grote II, p. 433: 'a professed disputant may perhaps be accused of admitting nothing to be true; but he cannot well be charged with maintaining that nothing is false.'

modo ἀντιλογικώτατος Euthydemus (Euthyd. 283 E sq.) eandem tueatur sententiam.

Demonstravimus, supremum Sophistae dialogi consilium in quaerenda sophistae definitione, qua re expletur exterior pars, positum esse non posse. in quo quod semel iam ausi sumus facere, ut scriptoris verbis, sophistam quaeri aliudque nihil declarantis, fidem non haberemus, id in mediae partis aditu iterum cogimur moliri. Est enim huius partis quasi prora et puppis, ut sophistae definiendi caussa demonstretur, 'id quod non sit, τὸ μὴ ὄν, esse quodammodo.' iam vero si haec quaestio, per se haud indigna multo studio, universum libri consilium expleret, magna et gravissima disputationis pars, qua ens tractatur, quoniam ad enodandas illas non-entis difficultates necessaria non est possetque satis commode paene tota omitti, loci sui explicatione careret [41]. refragatur praeterea tota huius partis constructio, quae simplicissima est; primum enim (II A, 237 A—242 B) exponuntur difficultates non-entis; deinde (II B, 242 B—250 E) satis levi de caussa (242 C, 243 C) ad ens transitur, quod non minoribus quam illud nodis intricatum reperitur; tum, spe facta, fore ut utrumque simul lucem accipiat (250 E), modo prorsus abrupto et ita, ut omnia, quae sequantur nihil auxilii aliunde expetere, sed e mera experientia deduci videantur, inducitur doctrina de generum communione (II C, 251 A—259 E); denique, quod ad sophistam reperiendum est necessarium, demonstratur quasi corollarii loco, non-ens misceri orationi et opinioni. Huius divisionis tripartitae explanationem contraque secus statuentes defensionem, si cui videatur necessaria, amplissimam inveniet apud Bonitzium (p. 311—15), qui praeterea (p. 318) prorsus secundum compositionis naturam eis, quae II C de generum communione disseruntur, supremum et ultimum dialogi consilium putat contineri — quo iure, postea quaeretur. ante enim haec media pars paullo accuratius nobis erit illustranda, quod ita facturi sumus, ut subsidiis, quae tertia parte ipse

41) confer Schleierm. II, b, p. 90.

scriptor nobis porrigit, utamur ad profligandas primum non-entis, deinde entis difficultates. et sic omnes operis partes singillatim contuiti facilius iam atque certius quaesitum illud Sophistae consilium poterimus statuere. quod assecuti tanquam e summo montis fastigio omnium circum, quae ante peragravimus, arvorum situm nexumque haud sine laetitia uno oculorum obtutu lustrabimus et singula omnia quid faciant ad unum illud universum consilium exprimendum plenius ampliusque, speramus, quam adhuc factum est, assequemur. Sed interim per dumeta ac paludes ascendimus tractamusque primum ratione proposita *τὸ μὴ ὄν*.

Duo sunt, quae Eleatam de victoria triumphoque iam securum (235 B C) subito maximis dubitationibus irretiant, primum quod sophista, sive ad *εἰκαστικήν* pertinet sive ad *φανταστικήν* [42]), omnino nequit reperiri, nisi est quodammodo non-ens, deinde quod non-ens esse posse neque a Parmenide conceditur, neque ipsa rei ratione statuere licet (237 B). huic duplici aporiae accurate respondet ea, quae deinde sequitur aporematum non-entis expositio, nisi quod mutatur ordo. primum enim demonstratur, non-ens, quoniam neque praedicatum neque subiectum esse possit cuiusquam rei, quae s i t, utramque ob caussam neque in dicendo neque in cogitando posse locum habere (237 B—E, 238 A—D); quo accedit, quod etiam is, qui haec ipsa demonstret, earundem contradictionum cogatur esse particeps (238 D—239 C); deinde haec ad quaestionem de sophista propositam ita adhibentur, ut exponatur quomodo sophista, sive illum dixeris *ε ἰ δ ώ λ ο υ* a r t i f i c e m (239 D—240 C) sive *ψ ε ύ δ ο υ ς* f a b r i c a t o r e m (240 D—241 A), quaestionis difficultate ad effugiendum possit uti [43]). Ac posteriora haec de sophista, quon-

---

42) Quarum ad utram referendus sit in dubio manet (235 B. 236 C: *ὃ δέ γε καὶ τότ' ἠμφεγνόουν, ἐν ποτέρᾳ τὸν σοφιστὴν θετέον, οὐδὲ νῦν πω δύναμαι θεάσασθαι σαφῶς*) usque ad 264 C, ubi finita tota hac media parte ad sophistam divisionesque hospes regreditur.

43) Falso haec enarrantur apud B o n i t z i u m, qui priorem aporematum partem postquam recte retulit (II A, 1. p. 291), subito haec omnia tum demum in sophistam cadere putat, si sub *φανταστικῇ* quaeratur (usque ad mediam sententiam, quae legitur 239 D):

iam quid velint satis perspicuum est, mittimus. illam vero demonstrationem, non-ens neque pronuntiari neque cogitari posse, iam in quaestionem vocemus. Efficitur igitur haec mirifica seque ipsa refellens conclusio bis eadem viis diversis. Primum sic: 'non-ens praedicatum esse nequit.' hoc sine caussis allatis conceditur 237 C: *ἀλλ' οὖν τοῦτό γε δῆλον, ὅτι τῶν ὄντων ἐπί τι τὸ μὴ ὂν οὐκ οἰστέον.* — *πῶς γὰρ*

---

deinde (II A, 2) easdem difficultates occurrere, si sub *εἰκαστικῇ* sophista quaeratur, Bonitzius censet doceri 239 D—240 C; denique (II A, 3) ad *φανταστικὴν* regreditur, illaque si fallat sophista, eisdem eum subsidiis fugae uti posse putat exponi. — In hac Bonitzii dispositione primum ordinem desideramus: nam a *φανταστικῇ* ad *εἰκαστικήν*, ab hac iterum ad *φανταστικὴν* transitur. deinde ad eam obtinendam coniectura opus est. nam non propter grammaticam constructionem commendabilis, ut putat Bon., sed propter ipsum sensum, quem statuit, necessaria est emendatio, quam proponit, 239 D: *ὅταν δ' εἰδωλοποιόν* (p. 291. n. 5). quod enim sine illa Stallbaumius, quem citat, verba potuit construere, id propterea fit, quia Stallb. prorsus aliam rectamque vim eis subiecit. Sed quid hac coniectura Bonitzius efficit? sententiae *τοιγαροῦν κτλ.* 239 D priorem partem ad ea, quae praecedunt, posteriorem ad ea trahit, quae sequuntur. illa de *φανταστικῇ*, haec de *εἰκαστικῇ* dici putat. et revera nomen *φανταστικῆς* in priori sententiae parte legitur. sed in posteriori non (ut secundum Bonitzium esset exspectandum) *εἰκαστική* sed *εἰδωλοποιϊκή* occurrit, quae cum in *εἰκ.* et *φαντ.* supra sit divisa, non alteri earum, *εἰκαστικῇ*, poterat opponi. sed omnino tota haec *εἰδωλοποιϊκῆς* subdivisio 236 C relinquitur et demum 264 C — ut nota 42 diximus — recipitur. tota autem media parte omnia illa vocabula promiscue adhibentur. — Erroris Bonitziani participes sunt tacendo Hayduckius (p. 2 n. 3) loquendo Steinius (I, 224). Contra Albertius (Rh. Mus. 1866, p. 185), dum 'Bild' et 'Scheinbild' distinguendum putat ut 'Sein' et 'Irrthum,' horribilis erroris suspicionem movet. sed hic ut plerumque tanta verborum obscurorum nube quid sentiat occulit, ut nusquam per illam quid tandem velit satis cernere possis. — Stephanius (p. 13) et Groteus (p. 412 supr.), uterque dum proprio Marte rem gerit, proprio Marte errat uterque. — Nostra opinio, qua fallacia obiectiva (*εἴδωλον*) et subiectiva (*ψεῦδος*) distinguenda est, non solum unice rem assequitur (cf. imprimis 239 D. 240 C.) sed etiam verbis, quae totius partis initio leguntur 236 E: *τὸ γὰρ φαίνεσθαι τοῦτο καὶ τὸ δοκεῖν, εἶναι δὲ μὴ* (hinc *εἰδώλου* artifex) *καὶ τὸ λέγειν μὲν ἄττα, ἀληθῆ δὲ μὴ* (hinc *ψεύδους* fabricator) *πάντα ταῦτά ἐστι μεστὰ ἀπορίας κτλ.* accurate respondet.

ἄν; — hinc colligitur, 'qui non-ens dicit, omnino non dicit.' Altera via haec est: 'non-ens entis subiectum esse nequit.' hoc iterum sine demonstratione sumitur 238 A: μὴ ὄντι δέ τι τῶν ὄντων ἄρα προςγίγνεσθαι φήσομεν δυνατὸν εἶναι; — καὶ πῶς; — hinc concluditur, eum, qui dicat non-ens, facere aliquid, quod fieri nequeat. Vides, inter duarum demonstrationum exitum hoc dumtaxat interesse, quod posteriori contradictio magis etiam pateat, quam priori, et ad eandem lucidius proponendam tertio loco additur, etiam eum, qui 'τὸ μὴ ὂν εἶναι' refellat, cogi sibi contradicere.

Hae sunt non-entis difficultates, eaeque, ut videmus, maximae. nec nobis acquiescendum est, donec eas omnes videamus enodatas, nec verebimur, si forte subsidia a scriptore data non sufficiant, vel ultra ea progredi quaerendo. fortasse sic apparebunt, quorum caussa quaesivisse operae pretium sit. haud vilissima sunt, quae Plato ipsis legentibus solet invenienda relinquere. Sed antequam quae reticet indagamus, primum est exponendum, qua ratione ipse in tertia huius mediae disputationis parte non-enti vindicet essentiam. Quod per se quidem satis simplex est. distinguit enim, ut a multis iam est observatum [44]), duo non-entis genera, logicum et ontologicum, vel rectius relativum et absolutum, sive, ut ipse dicit, id quod est ἕτερον τοῦ ὄντος et id, quod est ἐναντίον. quapropter, si apud Schaarschmidtium legimus, (p. 199) a scriptore logicum et ontologicum seu metaphysicum non-ens confundi et permisceri, hoc de priori illa parte, qua non-entis difficultates proponuntur, quodammodo recte dici potest; ea enim ipsa est caussa illarum angustiarum, quod nondum separata sunt duo non-entis genera, et ita illas scriptor superat, ut utrumque disiungat. sin autem Schaarschmidtius omnino affirmare vult, duo non-entia per totum dialogum confundi, satis erit ei ipsius scriptoris verba opposuisse 257 B: ὁπόταν τὸ μὴ ὂν λέγωμεν, ὡς ἔοικεν, οὐκ ἐναντίον τι λέγομεν τοῦ ὄντος, ἀλλ' ἕτερον μόνον [45]).

---

44) Hermann, Gesch. u. Syst. p. 505. Stallb. Soph. p. 43. aliique post illos.

45) Schaarschmidtius, p. 199: 'Das logische Nichtsein, welches sich nur auf die Trennung zweier Begriffe bezieht, — ist

'Sed quid? ἐναντίον τοῦ ὄντος et ἕτερον τοῦ ὄντος nonne idem est? cum enim ens omnia, quae possint cogitari aut percipi, amplectatur, quid, si illud excipis, remanet ἕτερον quam absolutum nihil? potest cogitari ἕτερον καλοῦ, ἕτερον μεγάλου, sed ἕτερον τοῦ ὄντος non magis potest cogitari, quam ἐναντίον τοῦ ὄντος illud Parmenideum non-ens.' — Haec fere sunt, quae Schaarschmidtii dissimillimus et simillimus contra Platonem monuerit Groteus (II, 499 sq.), in eo lapsus, quod, cum verba essent reprehendenda, rem vituperavit. Ad quod demonstrandum dum accingimur, lecturos monitos esse volumus, ut iudicium suum de re proposita differant, donec, singulari generum natura postea propius inspecta, latius patere eam rationem erit cognitum, cuius unum et quidem maximum exemplum sumus exhibituri.

Aliud est τὸ εἶναι, notio essendi, quae omnia quae sunt permeat sive amplectitur, aliud τὸ ὄν, id quod est quia illius τοῦ εἶναι notionis est particeps. Haec duo quia Parmenides non distinxit, dum τὸ ὄν ibi tantummodo reperit, ubi τὸ εἶναι est, omnibus praeter essendi notionem abnuit essentiam. Haec duo quia Plato distinxit, maximum ante se philosophiae systema subvertit [46]). sed rem distinxit, nomen duobus reliquit idem: τὸ ὄν. Exemplo rem illustremus. Nos dicimus: 'κίνησις est ὄν sed non εἶναι.' 'κίνησις μετέχει τοῦ εἶναι' sed non est εἶναι.' Contra eadem Plato sic: 'κίνησις

---

vom Nichtsein im metaphysischen Sinne himmelweit verschieden, sofern Letzteres sich auf die Leugnung der Existenz bezieht. Unser Verfasser verwechselt aber oder identificirt vielmehr beides.' — Plato p. 258 E: μή τοίνυν ἡμᾶς εἴπῃ τις (velut Schaarschmidtius) ὅτι τοὐναντίον τοῦ ὄντος τὸ μὴ ὂν ἀποφαινόμενοι τολμῶμεν λέγειν ὡς ἔστιν. ἡμεῖς μὲν γὰρ περὶ μὲν ἐναντίου τινὸς αὐτῷ χαίρειν πάλαι λέγομεν, εἴτ' ἔστιν εἴτε μή, λόγον ἔχον ἢ καὶ παντάπασιν ἄλογον. ὃ δὲ νῦν εἰρήκαμεν τὸ μὴ ὂν κτλ.

46) Prorsus alia et harum rerum et totius Sophistae esset ratio, si iure Herbartius (commentatio de Platonici systematis fundamento 1805. Werke XII, p. 63 sq. cf. impr. p. 80 sq.) censeret, ad contradictiones γενέσεως Heracliteae effugiendas duorum elementorum, quae contineat, alterum, substantiam, a Parmenide (τὸ ὄν) alterum, qualitates, a Platone (εἴδη) pro principio esse statutum. de qua re postea dicetur.

est ὄν et μὴ ὄν. καὶ ταῦτα οὐ δυσχεραντέον.' 'κίνησις μετέχει τοῦ ὄντος sed non est ὄν.' At facillime ubivis cognoveris, τὸ ὄν utrum 'id quod est' Plato dicat, an notionem essendi (τὸ εἶναι). Ubi vero ambo, τὸ ὄν et τὸ εἶναι, concurrant, quo lepido modo confusionem evitaverit, postea ostendemus. nunc enim haec ad non-ens adhibeamus.

Potest non-ens ei esse oppositum, quod est, τῷ ὄντι; hoc Plato dixit ἐναντίον τοῦ ὄντος. potest etiam excludere τὸ εἶναι; habes Platonis ἕτερον τοῦ ὄντος. 'Quid?' exclamas, 'id, quod τὸ εἶναι excludit, num id esse potest?' Potest sane. nam sicut τὸ εἶναι (Platoni semper τὸ ὄν) expanditur per omnia quae sunt, per τὰ ὄντα, ita τὸ μὴ εἶναι (Platoni τὸ μὴ ὄν, sc. τὸ θάτερον) dissipatum est (κατακεκερμάτισται 257 C) per omnia τὰ ὄντα, non essentiam tollens, sed certam quandam essentiam, et sicut τὸ μέγα, τὸ καλόν etc. e s t, quia particeps est τοῦ εἶναι (μετέχει τοῦ ὄντος) ita τὸ μὴ μέγα, τὸ μὴ καλόν particeps est τοῦ μὴ εἶναι, τοῦ θατέρου et a Platone dicitur τῆς θατέρου φύσεως μόριον (258 A). Et sic etiam nobis οὐ δυσχεραντέον, quod ipsum τὸ εἶναι (Platoni τὸ ὄν), cum non sicut apud Parmenidem totam essentiam absorbuerit (ut id, quod vi eius e s t, τὸ ὄν) ipsum particeps est τοῦ μὴ εἶναι; nam praeter τὸ ὄν nihil est, praeter τὸ εἶναι autem multa alia, κίνησις, στάσις etc.

En statuimus non solum cum Platone duplex μὴ ὄν sed etiam ultra eum modo respondente duplex ὄν. quod quamvis ne verbo quidem ab eo significatum sit, tamen si doctrinam in Sophista propositam non immutasse sed ad necessariam suam consequentiam propulisse videbimur, officium Platonicarum rerum interpretis non excessum a nobis putabimus, sed expletum. cumque Parmenidis doctrina dici possit similis esse feraci ovo, calore ingenii Platonici ad idearum vitam recluso, testae fragmentum, quod, originis indicium, pullus in capite gessit, cum Groteum offenderit, nos removimus [47]).

---

47) Eadem illa τοῦ ἐναντίου et τοῦ ἑτέρου minus recta interpretatio caussa videtur fuisse G r o t e o alterius, qua Platonem persequitur, reprehensionis. Putat enim (p. 450 sq.) Platonis doctrina

Ac de non-ente relativo satis dictum est. Iam adeamus alterum illud non-ens absolutum vel metaphysicum, de quo Plato se nihil omnino statuere cautissime declarat 258 E: *ἡμεῖς γὰρ περὶ μὲν ἐναντίου τινὸς αὐτῷ (τῷ ὄντι) χαίρειν πάλαι λέγομεν, εἴτ' ἔστιν εἴτε μή, λόγον ἔχον ἢ καὶ παντάπασιν ἄλογον.* his verbis sunt qui putent significari materiam Platonicam [48]). et revera, cum hoc non-ens absolutum id sit, quod remaneat, si omne ens, i. e. omnes ideas vel notiones, seu quidquid omnino intellegi queat, rebus detraxeris, remaneat autem tum nihil praeter materiem, tantum quidem ab omnibus concedendum est, si a doctrina in Sophista proposita circumspicientes quaeramus, ubi locorum materies habitet, non ex alia, atque ex hac non-entis absoluti regione eam esse repetendam [49]). maiorem etiam veri similitudinem

---

tolli universitatem principii contradictionis. cum enim duplex sit negationis virtus, primum ne quid affirmet, deinde ut id quod negetur excludat, apud Platonem, cum *τὸ μὴ ὂν* ei sit *ἕτερόν τι*, primum affirmari negatione, deinde non satis excludi negatum, ita ut, cum nihil obstet, quominus idem subiectum duo diversa praedicata habeat, Platoni autem negatio mere diversum significet, fieri possit, ut idem subiectum patiatur praedicatum simulque eius negationem. — Sed primum ex eo, quod Plato non solum statuit ideam *καλοῦ, δικαίου*, sed etiam *μὴ καλοῦ, μὴ δικαίου*, nequaquam sequitur affirmativa vis negationis ('Plato seems to consider the negative as a species of affirmative'), nam cum negatio tum affirmatio Platoni in *κοινωνίᾳ* cum ideis posita est; deinde vero Plato, dum relationem inter *τὸ μέγα* et *τὸ καλόν* nec non relationem inter *τὸ μέγα* et *τὸ μὴ μέγα* eidem generi *ἑτερότητος* subiungit, tamen utriusque relationis discrimen indicare non neglexit, velut 257 E: *τῶν ὄντων τινὸς ἑνὸς γένους ἀφορισθὲν καὶ πρός τι τῶν ὄντων αὖ πάλιν ἀντιτεθὲν, οὕτω ξυμβέβηκεν εἶναι τὸ μὴ καλόν.* possunt igitur ad idem subiectum pertinere duo *ἀφορισθέντα (μέγα, καλόν)* sed non duo *ἀντιτεθέντα (μέγα, μὴ μέγα)*.

48) Susemihl p. 307. Deuschle p. 302. Munk p. 432.

49) Quamobrem vel propterea nequeo accedere eis, quae Hartensteinium secutus proposuit Bonitzius, optans fere magis quam coniciens (p. 329 n. 50) 'voluisse fortasse Platonem generum communione mundum sensibilem e meris ideis deducere.' nam omne illud *θάτερον* intra ideas, solum hoc *τοῦ ὄντος ἐναντίον* extra illas cadit, cumque materies huius iam finibus sit circumscripta, non amplius illius ope poterat a philosopho quaeri. — Sed de hac re plenius postea disputari poterit.

haec opinio accipit e loco reipublicae 478 B, ubi dubium esse non potest, quin τὸ ὄν ideae, τὸ μεταξύ mundus sensibilis, τὸ μὴ ὄν materies sit. ipsa autem verba reipublicae testantur, id non-ens, quod ibi proferatur, idem esse alteri ex duobus Sophistae non-entibus, ei, quod diximus absolutum. hoc quia a non-ente relativo non separaverunt, Socherus pugnare rempublicam cum Sophista putavit (p. 264), Groteus (p. 457 u) Socheri errorem dudum confossum resuscitavit et defendit. Ritterus autem, qui duplicem non-entis naturam bene perspexit, quomodo relativum non-ens, quod idearum tantummodo inter se relatione continetur, ad reipublicae illud μεταξύ, i. e. mundum sensibilem potuerit referre, id mihi non patet [50]).

Postquam non solum non-entis difficultates lustravimus, sed etiam ea, quae ad solvendas illas a Platone sunt proposita, e doctrina de generum communione excerpsimus, superest, ut videamus, quomodo his subsidiis illa impedimenta possint removeri. Meminimus, duas illic fuisse propositiones, sine examine assumptas, e quibus non-ens neque dici neque cogitari posse concluderetur: 'non-ens neque praedicatum neque subiectum entis cuiusquam esse posse.' patet, haec non de relativo sed tantummodo de absoluto non-ente posse valere. illud igitur, cum non omnino essentiam sed tantum certam quandam et determinatam essentiam tollat, neque a sermone neque a cogitatione potest excludi; hoc autem, non-ens absolutum, revera neque praedicari de ente quoquam neque subici ei potest. quo concesso nullas consequentias debebimus extimescere. cum enim, ut alias apud Platonem, de fallaci conclusiuncula ad tentandos legentium animos vel ad perturbandum adversarium impudentiorem [51]) instituta hic

---

50) Gesch. d. Phil. II, p. 254 (ed. I): 'Daher kann die falsche Meinung nur dadurch erklärt werden, dass man einsieht, wie zwar das Nichtseiende an sich nicht gedacht werden könne, aber wohl das Nichtseiende in einem Verhältniss zu einem Andern, etwas, was in der Mitte liegt zwischen dem Seienden und Nichtseienden. rep. V, p. 478.'

51) Cuius rei illustre exemplum legitur reip. I, p. 349 A sq., quo loco Steinhartus et Zellerus quaedam sophismata deprendere

cogitari nequeat [52]), necessario sequitur, ut non-ens absolutum neque a Platone neque a nobis sive dicendo sive cogitando possit attingi. — Sed, per deos immortales! nonne Eleates, nonne Plato, nonne nosmet ipsi immemores concessi etiam atque etiam cogitando tractamus et nominamus non solum relativum verum etiam incogitabile illud et ineffabile maximis necessitatibus non-ens absolutum? — ad haec respondere sive iussit Plato sive non iussit, certe conabimur.

Excludimus negando. in quo negotio si eo procedimus, ut non haec vel illa res sed omnis omnino denique excludatur essentia, oritur ostento similis quaedam species, tanquam sit aliquid etiam id quod remaneat, idque nomine e rebus maxime diversis, negatione et essentia violenter conglutinato audemus dicere *ΤΟ ΜΗ ΟΝ*, qua voce, cum re vera nihil sit dictum, notionis quoddam simulacrum obrepimus, eaque obreptio perquam similis est ei, quod Plato in Timaeo (52 B) unicum intellegendi materiem subsidium proponit, *λογισμῷ τινι νόθῳ*. Quamquam alia paullum ratione Timaeum legentibus ad rectam huius loci intellegentiam deveniendum est, quae res, quoniam optime illustrat, quomodo apud Platonem diversa ratione mutatisque omnibus rerum nominibus ad idem deducamur et simillima denique inveniamus, quae videbantur esse longe distantia, digna est, quae nos paullum moretur, eo magis, quia sic occasio datur, duos Timaei locos rectius, quam adhuc factum scimus, explicandi.

In Timaeo igitur Plato materiem describens dicit eam esse *ἁπτὸν λογισμῷ τινι νόθῳ* (p. 52B), quibus verbis Zel-

---

ausi a Susemihlio (II, 101 n. 844) propterea reprehenduntur. Sed vera rei ratio nondum, ut videtur, perspecta mea quidem sententia haec est. Postquam Thrasymachus eo ascendit impudentiae, ubi disputari iam nequeat, Socrates ei aliud praeter *τὰ νομιζόμενα* (348 E) respondendum esse dicit, idque sic deinde facit, ut promat demonstrationem, quae singulare in suo genere sit artificium. est enim referta immanibus captionibus; sed tam callide teguntur, ut Thrasymachus nihil sentiens in laqueos incidat captusque eis teneatur.

52) Quod enim maxime omnium sonat sophisticum 237 E: *οὐδὲ τοῦτο συγχωρητέον, τὸ τὸν τοιοῦτον λέγειν μὲν, λέγειν μέντοι μηδέν*, id serio expromi apparet e loco reip. p. 478 B: (*ἀδύνατον*) *δοξάζειν μὲν, δοξάζειν δὲ μηδέν.*

lerus olim eam contineri reprehensionem putabat, quae rectissime cadit in Aristotelis ὕλην et nostram materiem, scilicet quod id, ex quo omnia facta sunt, quoniam aliter assequi nequimus, sub imagine materiae, ex qua domus exaedificantur, animo concipimus [53]). hanc interpretationem, quam postmodo Zellerus omisit (2 ed. II, 464. 470 n. 3), omissam Susemihlius (II, 407 n. 1382) obtinuit, vel ideo probare nequimus, quia non παραδείγματι sed λογισμῷ ἁπτόν Plato dixit materiem. quamobrem lucem malumus repetere e loco consimili Tim. 51 A, ubi materies dicitur ἀνόρατον εἶδός τι καὶ ἄμορφον, πανδεχές, μεταλαμβάνον δὲ ἀπορώτατά πῃ τοῦ νοητοῦ καὶ δυσαλωτότατον. quo pacto hic dicitur materies μεταλαμβάνειν ἀπορώτατά πῃ τοῦ νοητοῦ? Zellerus (2 ed. II, 486 n. 2) de modo difficili cogitat, quo ideae materie exprimi dicuntur τρόπον τινὰ δύσφραστον καὶ θαυμαστόν 50 C. sed cum hic describatur, non narretur, μεταλαμβάνειν tantum est, quantum μετέχειν. μετέχουσιν autem ἰδεῶν res sensibiles, non materies, quae hac ipsa re ab illis differt. accedit, quod toto hoc loco nullo verbo de modo μεθέξεως ἰδεῶν (ὃν εἰσαῦθις μέτιμεν 50 C) agitur, sed, ut testantur et quae praecedunt et quod additur δυσαλωτότατον, sola materiae natura, qualis per se sit, describitur. Rectius paullo Koenitzerus [54]) ideo putat materiem νοητοῦ dici participem, quia sicut illud neque pereat neque sentiatur. sed tum tantae aporiae sufficiens caussa non esset. et quid tam longe repetimus explicationem, cum lucem multo simpliciorem offerant verba ipsius loci: εἶδός τι ἀνόρατον?

Notionem vel ideam ibi statuimus, ubi animadvertimus aliquid, quod in rebus diversis est idem [55]). iam vero

---

53) Zeller, die Phil. d. Gr. 1 ed. II. p. 225. ‘λογισμὸς νόθος, d. h. wohl, ein Analogieschluss von der Beschaffenheit des Sinnlichen auf die Grundlage desselben.’ ipse iudicabis, an recte Zelleri verborum subobscurorum vim divinaverimus. In 2. ed. maluit nescire.

54) Ueber Verhältniss, Form und Wesen der Elementarkörper in Platons Timaios. Neu-Ruppin 1846, p. 26 sq. (ap. Susem. II, 408). In dubio rem reliquit Susemihlius (II, 407. 408), vir multa laude dignus, quia duas voces, ‘non liquet’ et ‘erravi’, nusquam refugit.

55) Ὁ μὲν γὰρ συνοπτικὸς διαλεκτικός ὁ δὲ μὴ οὔ. de Rep. 537 C.

eodem modo, quo a rebus sensibilibus ad notionis puritatem ascendimus, eodem descendentes a sensibilibus mergimur in materiam. illic omne non-ens, hic omne ens exuimus. nam, ut Platonicis exemplis res agatur, si a tellure, aqua, aere, igne omnem formam, omnem *οὐσίαν* detraxeris, si id, quod omnibus commune est, petiveris, habebis — mirabile dictu! — notionem materiae. ideo materies a Platone *εἶδός τι* dicitur, *μεταλαμβάνον ἀπορώτατά πῃ τοῦ νοητοῦ*, ideo *ἁπτὸν λογισμῷ τινι νόθῳ, μόγις πιστόν. εἶδος* est, ubi in diversis commune est. ut autem, cum sustuleris omne *μὴ ὄν*, omne *τόδε*, in idearum luce versaris, ita, cum omne *ὄν*, omnem qualitatum diversitatem extinxeris, restant materiei tenebrae.

Vides eodem perducere Sophistae et Timaei doctrinam. illic negando omne *ὄν*, hic detrahendo omnes elementorum formas ad eandem devenitur notionem materiae, quam negationibus partam omnibusque reliquis ideis ipsa natura sua contrariam et inimicam suo iure Plato spuriam dixit, neque quomodo aptius dicatur, equidem scio.

Verumtamen longius sumus egressi, quam ad intellegendum Sophistam necessarium est. quamquam enim ex anxia illa diligentia, qua Plato non-ens absolutum 258 E seponit *εἴτ' ἔστιν εἴτε μή, λόγον ἔχον ἢ καὶ παντάπασιν ἄλογον*, subit suspicio, iam tum eum, cum haec scriberet, non-enti absoluto materiae in systemate partes sustinendas destinavisse, tamen ad erroris naturam explanandam, quod est huius Sophistae partis exterum propositum, sufficit alterum illud *ἕτερον τοῦ ὄντος* non-ens, quod non *τὸ ὄν* excludit, — est enim ipsum *ὄντως ὄν* et idea, ut videbimus, inter ideas — sed *τῷ εἶναι* contrarium sicut illud super omnem *οὐσίαν* dispersum [56]) principium est dissociationis idearum, *αἴτιον τῆς διαιρέσεως*, de qua re postea. Hoc igitur nonens miscetur sermonis et opinionis ideis [57]); cum enim enun-

---

56) p. 260 B: *τὸ μὲν δὴ μὴ ὂν ἡμῖν ἕν τι τῶν ἄλλων γένος ὂν ἀνεφάνη, κατὰ πάντα τὰ ὄντα διεσπαρμένον.*

57) 260 B sq. Verbo monendum est, hanc mixtionem seu *κοινωνίαν* (260 E) peculiarem et prorsus diversam esse ab illa, qua omnes ideae, cum inter se differant omnes, participes sunt non-entis ideae.

tiatio constet e subiecto et praedicato [58]), fieri potest, ut certo subiecto tribuatur praedicatum, quod ei natura sua non conveniat, sed alienum ab eo sit et *ἕτερον*, ideae non-entis particeps. sic — *εἰ θέμις εἰπεῖν* — erroris idea oritur mixtis opinionis et non-entis ideis, sic error est opinio, cui non-ens est mixtum [59]).

Vellicavit hanc Sophistae partem Schaarschmidtius (p. 198 sq.) comparato simili Theaeteti loco, quo de errore, quo pacto esse possit, quaeritur. ubi tamen aliud propositum est. nam Sophista obiectivam, Theaetetus subiectivam erroris naturam scrutatur. ille docet, errorem esse coniunctionem notionum contra rerum naturam vi *θατέρου* effectam. hic, quomodo fieri possit, ut notiones cogitando permutentur, studet rimari. ille metaphysicam, hic psychologicam erroris caussam persequitur. neuter officit neutri. quamquam hoc Schaarschmidtio concedendum est, id quod efficiatur Sophistae de ea re disputatione implicite iam contineri Theaeteti *ἀλλοδοξίᾳ* (189 B sq.) iteratamque disquisitionem minus fuisse necessariam. nihilominus haud temere haec iterum in Sophista Plato exprompsit, idque lucide apparebit, postquam quid tandem toto hoc libro spectaverit erit a nobis cognitum.

Antequam hanc de non-ente partem relinquimus, paucis tangenda est mira Bonitzii opinio sub finem libelli (p. 333) proposita, qua, si recte quae velit intellegimus,

---

58) A quo copulam Plato nondum divisit. — Transimus opinionem Ritteri (Gesch. d. Ph. II, 248 ed. 1.) a Brandisio (II, 217 sq.) probatam, Platonem linguae exemplo necessariam *οὐσίας* et *γενέσεως* coniunctionem voluisse indicare, ita ut *ὀνόματα οὐσίαν*, *ῥήματα γένεσιν* repraesentent. Cuius opinionis nullo verbo a Platone indicatae si qua est veritas, quod equidem dubitaverim, certe extra nostrum dialogum est quaerenda.

59) Parm. 133 C: *ὅσαι τῶν ἰδεῶν πρὸς ἀλλήλας εἰσὶν αἵ εἰσιν, αὐταὶ πρὸς αὑτὰς τὴν οὐσίαν ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ πρὸς τὰ παρ' ἡμῖν εἴτε ὁμοιώματα εἴτε ὅπῃ δή τις αὐτὰ τίθεται, ὧν ἡμεῖς μετέχοντες εἶναι ἕκαστα ἐπονομαζόμεθα· τὰ δὲ παρ' ἡμῖν ταῦτα, ὁμώνυμα ὄντα ἐκείνοις, αὐτὰ αὖ πρὸς αὑτά ἐστιν ἀλλ' οὐ πρὸς τὰ εἴδη, καὶ ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐκ ἐκείνων ὅσα αὖ ὀνομάζεται οὕτως.* Sic, quod ad dominum servus, id ad domini ideam servi idea est etc.

censet Platonem in Sophista errori realem q. d. essentiam vindicare voluisse, ita ut falsa duarum notionum coniunctio non in mente sola sed etiam in ipsa rerum natura inveniretur, in eoque proposito, cum errorem ad veritatis honorem studeret extollere, nimirum fuisse frustra. ad quae examinanda paullum respiciamus. Negat sophista, errorem esse posse, cum errore credatur id, quod non sit, *τὸ μὴ ὄν*. quid hic dicitur non esse? non notiones, sed notionum contraria veritati coniunctio. iamque cum Plato propositum significet 241 D: *ἀναγκαῖον βιάζεσθαι τό τε μὴ ὂν ὡς ἔστι κατά τι καὶ τὸ ὂν αὖ πάλιν ὡς οὐκ ἔστι πῃ*, oritur species, eum revera voluisse falsae notionum coniunctioni vindicare obiectivam essentiam. sed illud *ἔστι κατά τι*, *ἔστι πῃ* vetat verba premere donec tanta emanet ineptia, patetque oxymori '*τὸ μὴ ὂν ἔστι*' non in se ipso sed in eis, quae sequantur, quaerendam esse explicationem. est autem hoc *μὴ ὂν* Platoni, ut vidimus, *τὸ ἕτερον*. iamque si dixisset '*τὸ μὴ ὂν* est *ἕτερον ὄν*', recte quodammodo cum Bonitzio putaremus, errorem accipi pro veritate. nam falsa notionum iunctio diceretur recta, verum alia atque ea, de qua ageretur. At Plato *τὸ μὴ ὂν* non dicit *ἕτερον ὂν* sed *ἕτερον τοῦ ὄντος* eaque re pedetemptim a subiecti et praedicati iunctione *τὸ μὴ ὂν* i. e. *τὸ ἕτερον* transfert ad ipsum praedicatum, paulloque post enuntiatione in subiectum et praedicatum divisa veri falsique eam exhibet definitionem, qua meliorem nullus philosophus invenit, verum esse, cum de subiecto praedicetur quod ei natura sua (obiective, realiter) contingat, falsum, cum id, quod a subiecto natura rerum sit alienum. sic erroris existentia q. d. exemplo sumitur — neque profecto aliter quam ex usu statuere eam licet —, possibilitas autem ex eo, quod subiecto possunt propria praedicata (*τὰ ὄντα*), possunt etiam aliena (*τὰ μὴ ὄντα*) attribui, quatenus mentis errantis ratione non habita fieri potest, luculenter deducitur. Et haec quidem contra Bonitzium, siquidem assequimur quae minus lucide, quam assolet, exposuit. Ceterum probavit hanc opinionem Albertio, qui ad eam explicandam et illustrandam ea affert (Rh. Mus. 1866. p. 195), quae intellegere nobis quidem datum non est. ita ut, nisi iocum excludit virorum gravitas, dixeris, Albertium Bonitzii candelam funden-

tem hoc loco lucem minus claram cum vellet emungere, exstinxisse.

Satis, ut videtur, non-ens pertractavimus nec tamen fere ullam rationem habuimus eorum, quae non-entis difficultatibus circumventus subsidio scriptor vocat. unde apparet, sua caussa expromi, quae de ente disputentur; quamquam enim ea sunt, quae omnes philosophiae partes collustrent propterea que haud exiguam lucem non-entis tenebris affundant, tamen, quod ad illud solum attinet, poterant maximam partem omitti. Quod si verum est, sequitur, ut aut abdicere cogamur a Sophista eam perfectionem, qua verae artis opera ex uno consilio ad strictam omnium partium necessitatem excrescant, aut altius debeamus descendere, eo ut perveniamus, unde non-entis et entis simulque partis exterioris ad unius operis temperationem intellegatur compositio. huc vero fore ut deducamur diligenti eorum, quae de ente disserantur, contemplatione eo maior spes est, quo altius reliqua omnia a nobis tractata illorum exsuperentur grandi dignitate.

Quid est *τὸ ὄν*? quid est illud, quod in rerum fuga sibi constet, quod in eorum, quae videmus, motu perpetuo idem semper manens aeternum illis fundamentum sit, unde gignantur, quo redeant? haec omnium philosophiae quaestionum gravissima duabus partibus tractatur, quarum priori (II B) postquam variis philosophorum de ente opinionibus lustratis in summas difficultates deventum est, altera parte (II C) ea adduntur, quibus secundum scriptoris verba (250 E) omnium nodorum resolutionem exspectaveris. Quapropter, sicut in non-entis pervestigatione fecimus, hic quoque primum utramque partem per se, deinde quae ratio inter eas sit, considerabimus. Et quoniam haec dialogi pars non solum summas summorum virorum laudes verum etiam multorum cum alias gravissimas reprehensiones experta est, tum doctrinae a Platone alienae variis modis est accusata, sic rem agere nobis propositum est, ut in proximis, seposita omni rerum Platonicarum memoria, primum quae tandem sit So-

phistae doctrina unice ex ipsis dialogi verbis studeamus statuere.

Ac primum ad censuram philosophorum recte intellegendam ante omnia haec scriptoris verba probe tenenda sunt, quae post absolutam illam crisin 251 C leguntur: *ἵνα τοίνυν πρὸς ἅπαντας ἡμῖν ὁ λόγος ᾖ, τοὺς πώποτε περὶ οὐσίας καὶ ὁτιοῦν διαλεχθέντας, ἔστω καὶ πρὸς τούτους* (Antistheneos dicit) *καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους, ὅσοις ἔμπροσθεν διειλέγμεθα, τὰ νῦν ὡς ἐν ἐρωτήσει λεχθησόμενα.* hinc consequitur, e scriptoris sententia eis, quae antecesserint, omnium omnino philosophorum de ente opiniones esse tractatas. verum haec verba adeo premere viri docti non sunt ausi [60]), quia neque Pythagoreorum [61]) neque Anaxagorae [62]) ulla sibi videbantur vestigia deprendere. Huc accedit alia difficultas, quod in hoc philosophorum examine, quod tanquam prima historiae philosophorum lineamenta celebrant, nihilominus quosnam singulis locis Plato dicat, admodum dubitatum et certatum est [63]). peior autem historia philosophiae esse non potest, quam quae sic describat, ut descriptum nequeas agnoscere. qua in re imprimis illi *εἰδῶν φίλοι* (248 A sq.) diversa iudicia experti sunt, cum alii a Platone refutari Megaricos, alii a Megarico Platonem, alii a Platone Platonem reprehendi censuerint.

---

60) Velut Bonitzius p. 317 'eine Kritik Platos über fast die sämmtlichen Grundansichten' etc. — Groteus p. 435 verba quae attulimus sic explicat: 'Plato announces his intention, — to confute all these different schools of thinkers, to whom he has made allusion.

61) Schleiermacher p. 94. Steinhart p. 447. 450 'allerdings ist jene Zusammenstellung nicht ganz vollständig.' Susemihl p. 312. Stephan p. 2, qui hic ut ubique Steinharti vestigiis ingreditur. — Contra Zellerus (II, 343 n. 2) Pythagoreos reperit 252 B, ubi tamen *πέρας ἔχοντα στοιχεῖα* nihil nisi 'certum elementorum numerum' significat.

62) Steinhart p. 450 eiusque pedisequus.

63) Conferas modo: Schleiermacher p. 93 sq. Ast p. 199. 201. Deycks p. 39 sq. Hermann p. 282 n. 52. Stallbaum p. 9. 11. 178. al. imprimis Steinhart p. 447. 449. not. 22—27. 450. 453. n. 36—39. Susemihl p. 312. 298. Bonitz p. 317 n. 34. n. 38—40.

Et de hac quidem re quid statuendum videatur, cognito huius criseos principio, satis tandem, ut speramus, liquebit. id vero nunc iam facile quivis concedet, Platonem, si sibi proposuisset omnes omnium philosophorum de ente opiniones examinare, idque propositum ita esset exsecutus, ut gravissimae opiniones desiderarentur, reliquae vix agnoscerentur, non laude fuisse dignum sed reprehensione. nec tamen iustior esset eius modi reprehensio, quam illa, qua, cum Plato in republica (VIII. IX) docuerit, quomodo variae civitatis constitutiones invicem sese excipiant, ab Aristotele in politicorum libro VI (extr.) carpitur, quia alio quoque modo, quam illic expositum sit, alium statum in alium posse transire usu atque exemplis constet. Verum Plato, sicuti illic non historiam constitutionum spectavit, fluxam illam ac fortuitis casibus obnoxiam, sed aeternam rerum necessitatem, qua quivis status reipublicae deterioris cuiusdam semina in se gerit, eodem modo in hac, quam Sophista exhibet, philosophorum lustratione, postquam brevi conspectu mythice magis illos rem suam enarrasse, quam strictis argumentis demonstrasse ostendit, reliquas eorum varias, quas attigit, opiniones alii tempori examinanda seponit [64]), ens vero subinde propria et maxime philosopha via persequitur, qua

---

64) 243 C: *τῶν μὲν τοίνυν πολλῶν πέρι καὶ μετὰ τοῦτο σκεψόμεθ' ἂν δόξῃ* — quod quidem in hoc dialogo facere visum ei non est, sepositum fortasse 'Philosopho' — *περὶ δὲ τοῦ μεγίστου τε καὶ ἀρχηγοῦ πρώτου* (sic optimi quique codd. — Bonitzius cum Vulg.: *πρῶτον*) *δὴ σκεπτέον. ΘΕ. Τίνος δὴ λέγεις; ἢ δῆλον, ὅτι τὸ ὂν φῂς πρῶτον δεῖν διερευνήσασθαι, τί ποθ' οἱ λέγοντες αὐτὸ δηλοῦν ἡγοῦνται.* — Errat Bonitzius, dum (p. 293 n. 7) *τὰ πολλά* ad *τοὺς ἄλλως λέγοντας* (245 E), *τὸ ἀρχηγὸν πρῶτον* ad *τοὺς διακριβολογουμένους* (ib.) refert. Patet, enim *τῶν μὲν τοίνυν πολλῶν πέρι* referendum esse ad verba praecedentia *καὶ περὶ τῶν ἄλλων δὴ τῶν προειρημένων*, haec vero respicere varios illos, quos attigit, de rerum compositione mythos. hos igitur missurum se dicit et mittit, unum illud *τὸ ἀρχηγὸν πρῶτον* persequitur, ad quod omnia, quae deinde promit et contra *τοὺς διακριβολογουμένους* et *τοὺς ἄλλως λέγοντας* unice spectant. in omnibus enim solum *τὸ ὂν διερευνᾶται, τί ποθ' οἱ λέγοντες αὐτὸ δηλοῦν ἡγοῦνται.*

non solum videatur quot fuerint adhuc philosophorum de rerum principio sed quot omnino esse possint sententiae[65]).

Meminerimus divisiones illas, quibus sophista quaeritur. quamquam in vitiis earum enumerandis multi fuimus, tamen universam eorum caussam nondum aperuimus. quae non in dichotomiae methodo sed in falso eius usu quaerenda est. cum enim notio tum demum recte pleneque findatur, si membra dividendo creata totum illius ambitum expleant, unice bipartiendo hoc assequeris si principium progrediendi negationem faciens duo divisionis membra contradictorie semper oppones. ea enim demum dichotomia, cuius altero membro invento alterum illius negatione efficiatur, cum illud *ὄν* et hoc *μὴ ὄν* sese invicem excludentia semper maternam notionem consumment, quin falsa sit fieri non potest. utrum melius sit, in talibus definitionibus, qualis est sophistae, hanc adhibere legem, habituram sane multum incommodi, an omittere omnino bipartiendi methodum, a qua est inseparabilis, hic non quaeritur. nec decernere audemus, quatenus huius verae rationis sibi conscius fuerit Plato, cum eis, qui *μετ' ἐπιστήμης* vellent *διὰ τῶν λόγων πορεύεσθαι* adhibendum *ἐν ταῖς διαιρέσεσι* tanquam *τῆς διαιρέσεως αἴτιον* significaret *τὸ θάτερον* sive *τὸ μὴ ὄν* (253 B C). Certe vero haec bipartiendi regula, quae facile ei se offert, qui longius secum reputet expositam illam a Platone non-entis non nihil sed aliud significantis indolem, melius illustrari non potest, quam methodo illa in dividendis philosophorum de ente sententiis a scriptore adhibita.

Quicumque de ente dixerunt et omnino dicere potuerunt, certum entium numerum aut definiverunt (*διακριβολογούμενοι*) aut non definiverunt (*ἄλλως λέγοντες*, aliter atque illi, i. e. certi numeri ratione non habita, rem peragentes[66])). quatenus de certo numero entium quaesivere,

---

65) Ipsis verbis utimur, quibus Carneadis et Antiochi, Academicorum, dividendi ratio a Cicerone (de fin. bon. V, 6, 16) laudatur.

66) 245 E. Vides vocabula vexatissima, hoc divisionis principio cognito, quam simplicem vim prae se ferant. quamquam hanc quidem eis restituerunt iam partim Zellerus (II, 181 n.) partim Bonitzius (p. 294 n. 7), praeterquam quod *τῶν πολλῶν πέρι* falso

aut plura statuerunt aut unum ens. quatenus vero omissa de numero quaestione aliter disseruere, cum praeter quantitatem restet, de qua dici queat, qualitas, hanc scrutati enti aut corpoream naturam vindicaverunt, aut non corpoream. tertium enim, quoniam omnia, quatenus sint entia, eatenus unum esse demonstratum iam est, non datur. Vides quattuor sic nasci sententias, quibus omnium capitum omnes sensus contineantur. quinta enim esse nequit. has igitur deinceps sub examen philosophus vocat [67]).

Prima eorum est, qui plura *τὰ ὄντα* statuunt, velut duo. quae enim cum his aguntur statim transferuntur ad alios omnes, *ὅσοι πλεῖον ἑνὸς λέγουσι τὸ πᾶν εἶναι.* quamobrem desinamus tandem somniare de physicis quibusdam, qui hic refutentur. quicunque pluribus vindicavere essentiam, Jonici, Pythagorei, Eleatae — nam his quoque extra *τὸ ἕν* nisi ipsae res sensibiles, attamen repraesentatio earum remanebat — ipse denique Plato, quatenus plures res sensibiles uni ideae subiciendas, quin etiam quatenus plures ideas statuit — omnes omnino compelluntur ad concedendam necessario omnium entium unitatem [68]).

---

interpretatur, de qua re n. 64 diximus. — Fundamentum igitur divisionis illud *διακριβολογούμενοι* indicat; quod vero additur (*ὄντος τε πέρι*) *καὶ μή*, id aut ad 245 CD respiciens premendum non est (contra Schleiermacher. ad l. p. 339), aut contra iustum disquisitionis progressum ad non-entis a nobis expositas difficultates (II A) referendum testatur, quantopere hic, ut per totum dialogum, ante omnes obversentur scriptoris animo Eleatae, quod in statuendo Sophistae consilio gravissimum esse videbimus.

67) Ad hoc verum totius criseos principium perspiciendum nemo propius accessit, quam Ribbingius in libro sagacissime scripto — *πλὴν Δηλίου γέ τινος δεῖται κολυμβητοῦ*! — 'Genetische Darstellung der Platonischen Ideenlehre' (cf. I, p. 198. 200. 205 n. 417), cuius assensione saepius etiam laetabimur. Sin autem veritatis commendatio quaedam est, duos sua sponte ad eandem venisse sententiam, licebit monere, omnia, de quibus non disertis secus rem se habere denotetur, constitisse nobis, priusquam illius libri adeundi facultas fieret. Ceterum dolendum est, quod per linguae — ut videtur — iniquitatem haud ubivis quid voluerit vir doctissimus possis perspicere.

68) Haec opinio, omnium quae sint hic doceri unitatem, si

Transit ad eos, qui unum ens obtinent, quorum unicum exemplum praebebant Eleatae; nam in dualismum, quem diximus, inciderunt nolentes. horum igitur *τὸ ἓν ὄν* in plura

---

excipis Stallbaumii parum philosopham enarrationem (p. 21) omnium fere ante Bonitzium fuit communis sententia. adde v. c. eis, quos Bonitzius attulit Ritterum (II, 244) Brandisium (II, 211). Contra Bonitzius (p. 295 n. 8) eis, qui duo principia statuant, non hoc solum putavit proponi, ut unum omnia esse concedant, verum etiam alterum, ut praeter duo illa *τὸ ὄν* ut tertium ponant. verum enimvero (quod vel e forma orationis possis conicere) serio hoc eis non proponitur. quid enim? duorum principiorum si alterum (utrumvis, *ἀμφοτέρως*) dicant *τὸ ὄν*, alterum 'non esse eis demonstratur: nonne eodem modo, si extra duo illa ponunt *τὸ ὄν*, duo illa non sunt? omnino autem hic est cardo totius doctrinae in hoc dialogo propositae, ut ante omnia demonstretur, cuncta, quatenus sint, unum efficere. nam tota illa, de qua postea, *κοινωνία γενῶν* hoc potissimum efficit, ut innumerabilium idearum cohors in unum quasi corpus compingatur. omnino autem ex eis, quae habemus dicenda, apparebit, Bonitzii opinione demonstrationem everti ad totum dialogum recte intellegendum maxime necessariam. At, profecto, operae pretium est videre, quantum apud posteriores viri magni polleat auctoritas. Sequuntur enim Bonitzium cum Schaarschmidtius (Rh. Mus. 1862. p. 10. ubi infelicissime haec: 'wenn dieser zugleich erklärt, dass von der angenommenen Zweiheit des Seienden aus entweder auf eine Dreiheit oder auf eine Einheit geschlossen werden müsse, sieht man ganz deutlich, dass die Ideenlehre mit ihrem vielfachen Seienden nicht ausschliesslich Geltung für ihn haben könne') tum adversarius eius Hayduckius (p. 13. qui praeterea haec Schaarschmidtio respondet: 'Offenbar handelt es sich hier nicht darum, die Einheit des Seienden zu beweisen, sondern vielmehr jene dualistische Ansicht durch sich selbst aufzuheben, die Gegner von ihren eigenen Voraussetzungen aus zu widerlegen. Dass aber eine solche rein negative Beweisführung keine Folgerungen auf die positiven Ansichten ihres Urhebers zulässt, ist an sich zu klar, als dass' etc. — Neutrum vim loci gravissimi attigisse videbis); etiam Steinius (I, 225) nimia credulitate laborat; Albertii sententia verbis latet (Rh. Mus. 1866. p. 186); Groteus (p. 413) et Stephanius (p. 16), quamquam Bonitzii rationem nusquam habent — quod melius fecissent! — tamen eiusdem erroris participes sunt, sicut quivis, qui quae dixerit scriptor magis spectat, quam quae velit. — Unum eorum, quos sciam, Bonitzii errorem penitus perspexisse video, Ribbingium (I, p. 193 n. 387).

diffindi[69]) Plato demonstrat. rem enarramus, quo clarius methodus, quae omnia penetrat, appareat. Primum: duo nomina dicunt, *ἕν* et *ὄν*. aut haec duo nomina idem significant — hoc ridiculum est, aut (*ἢ πῶς*; 244 C) — tacetur quod quivis potest explere. Deinde: ex eorum principio nomen omnino non potest esse. aut enim aliud est, quam res — en! duo habes, aut idem quod res; tum, si est idem, aut nullius nomen est — quod est absurdum — aut alicuius. sin hoc (quandoquidem idem sunt nomen et res possuntque propterea permutari), non solum dicere licet: 'nomen rei', sed etiam 'nomen nominis', 'res rei', 'res nominis'; quae omnia absurda sunt[70]). Accedit tertium: quid est illud, de quo Parmenides loquitur, totum (*τὸ ὅλον*)? aut aliud est, quam illud 'unum' — patet consequentia; aut idem. si idem est, quoniam totum partes habet, unum quoque habet partes. has si habet, unum quidem esse potest, unitas (*αὐτὸ τὸ ἕν, τὸ ἀληθῶς ἕν*) non potest. ergo *τὸ ὄν* aut non est unitas, aut non est totum. *χαλεπὴν προβέβληκας αἵρεσιν*, ait Theaetetus. si *τὸ ὄν* non est unitas, plura sunt quam unum (*τὸ ὄν* et unitas; haec enim est, quia *τὸ ὄν* unum est, ergo unitatis *μετέχει*, quod fieri nequiret, si haec non esset). sin autem *τὸ ὄν* non est totum, quia sic unum tantum esset, non unitas (*ᾖ μὴ ὅλον διὰ τὸ πεπονθέναι τὸ ὑπ' ἐκείνου πάθος* — verba me iudice corrupta) e duobus alterum eveniet: aut enim totum est — tum *τὸ ὄν*, quoniam totum excludit, non omnem essentiam amplectitur et, quatenus totum est, non est (*οὐκ ὄν*); accedit, quod tum

---

69) Dissentit ab his Ribbingius; quae vero ipse narrat (I, 201: 'dass alle die Widersprüche, welche an dem Eleatismus aufgezeigt werden, aus der Identification des Seienden mit der Einheit, oder daraus, dass das Seiende nur eins sein soll, hervorgehen') ea eodem fere redeunt.

70) Simplici huic, quam proponimus, loci vexatissimi explicationi omnes variorum interpretum argutias cessuras esse speramus. Modo restituas, antequam rem ponderes, pridem expulsam optimorum librorum (Bodl. Vat. Flor. i) lectionem (244 D): *εἰ δέ τινος αὐτὸ φήσει, συμβήσεται τὸ ὄνομα ὀνόματος ὄνομα μόνον, ἄλλου δὲ οὐδενὸς ὄν. — Οὕτως. — Καὶ τὸ ἕν γε, ἑνὸς ἓν ὂν μόνον, καὶ τοῦ ὀνόματος αὖ τὸ* (Schleierm. pro *αὐτό*) *ἓν ὄν*.

plura sunt, τὸ ὄν et τὸ ὅλον; aut totum non est, tum etiam τὸ ὄν neque est neque fit nullamque omnino habet qualitatem, quia quidquid est, fit, qualitatem habet, totum sit necesse est [71]).

Sic neque ei philosophi, qui plura principia, neque qui unum statuunt, Platoni satisfaciunt. restat, ut eis palma detur, qui utrorumque errores evitent. omnino autem hic iam monuisse utile est, per totam hanc crisin philosophorum, dum omnium partium vitia denotentur, prodire philosopham veritatem, quippe cui omnes illi lapsus sint effugiendi, aenigmatis instar magis magisque perplexi, donec subito aliunde petita eluceat plena eius resolutio.

Transit igitur philosophus a τοῖς διακριβολογουμένοις ad τοὺς ἄλλως λέγοντας. sed quinam hi alii sunt? cum enim etiam ei, qui de entium numero non disquisiverint, certum numerum eis esse necessario debeant concedere, omnes iam ea criseos pars, quam tractavimus, videtur amplecti. qui igitur restant, de quibus nondum sit dictum? At Plato nequaquam sic divisit, ut alios ab hac parte, ab illa alios velit esse positos: quatenus quantitatem entis philosophi statuerunt, eatenus absoluti sunt. quatenus autem de qualitate disseruere, nondum sunt examinati. cum vero vix esse possit philosophus, quin de qualitate principii edat sententiam, omnes omnino philosophi altera examinis parte, ad quam iam transimus, recurrunt, alia ex parte illic tractati, alia hic tractandi.

Quicumque de ente sententiam tulere, aut in rebus corporeis id posuerunt, aut in incorporeis. restare videntur, qui in utrisque ponant. at eos secundae parti adnumerandos mox Plato demonstrat. Illae autem duae partes aeternum bellum gerunt [72]). non igitur certae quaedam scholae

---

71) Postrema haec mance a Bonitzio (p. 296) exposita esse recte monuit Hayduckius (p. 2 n. 3).

72) 246 C. ἄπλετος ἀμφοτέρων μάχη τις ἀεὶ ξυνέστηκεν. Grandia haec et nescio quid metrici habentia verba, quae genus humanum, quale olim fuit et nunc est, in duas partes cogitando et paene vivendo contrarias dividunt — ab eis, qui Megaricorum caussam agunt ad scholasticas quasdam tricas deprimuntur.

opponuntur, sed omnes philosophi, quot fuere, sunt, erunt, digrediuntur in bina castra. antequam autem spectamus, quomodo haec agmina Plato in pugnam ducat, ut aliis alios frangentibus appareat ab utraque parte quid verum mansurumque sit, antea paucis agendum est de eis, qui incorporea rerum principia statuant. de his enim, cum principium totius huius 'historiae philosophorum' parum perspiceretur, infinita interpretum pugna coorta est. plerique enim, Schleiermacherum secuti, non eadem semper, qua ille, modestia Megaricos hic notari putarunt, alii de ipsa Platonis doctrina cogitarunt, cum aut librum a Platone abiudicarent, aut postrema senectute philosophum opinionem suam mutasse conicerent, aut Platonem adeo versipellem haberent, ut quibus de caussis sententiam gravissimam desereret. vix operae pretium esset quaerere [73].

Verum si recta sunt, quae de totius huius criseos methodo exposuimus, si hariolatus non est Plato, cum omnes omnium opiniones a se examinatas diceret, mirifico modo omnes omnium diversae de hoc loco sententiae [74]) subito in unam confluunt. Tum enim Plato eis, quae contra *εἰδῶν φίλους* profert, non hanc notat scholam vel illam, sed compellatos esse vult omnes omnino, qui in rebus incorporeis

---

73) Megaricos dici putant: Schleiermacher p. 93. Heindorf p. 382. Ast p. 201 n. 2, qui Schleiermacherum non nominavit. Deycks p. 40. Hermann p. 339. 503. Stallbaum p. 9. Brandis p. 115. Steinhart p. 423. Susemihl p. 298. Deuschle p. 304. Zeller p. 180 n. Bonitz p. 318 n. 40., Ribbing I, p. 55. Alberti p. 186. Stephan p. 18. Caussae imprimis leguntur apud Schleierm. Deycks. Zeller. — Ignotam nobis scholam notari putavit Ritter (Rh. Mus. 1828 p. 308) rectiusque postea quae hic dicuntur ad Eleaticae doctrinae eam partem retulit, quae remaneat unitate iam refutata (Gesch. d. Ph. II, 246 ed. 1). — Platonem corrigi censent, diverso modo rem explicantes vel non explicantes, Socher p. 265. Ueberweg p. 277. Schaarschmidt (Rh. Mus. 1862). p. 12. Hayduck p. 20 sq. Grote p. 396 a, 415, 439. — Dubiam rem reliquit Stein II, p. 66 n.

74) Ne eam quidem singularem sententiam excludimus, qua de Pythagoreis cogitandum censet Mallet, histoire de l'école de Mégare etc. Paris 1845, p. LIII sq.

(*εἴδεσιν*) essentiam ponant, sive unam substantiam statuant, sive plures (*ἓν ἢ καὶ τὰ πολλὰ εἴδη λέγοντες* 249 C). Sed unde poeticus ille vigor, quo hanc sententiam ad vitae veritatem expressit? — Mea quidem sententia per totum dialogum ubivis scriptoris oculis obversantur Eleatae. quamquam vero huic quoque loco ex universo libri consilio multum lucis accedet, tamen eis, quorum animi multitudine et auctoritate virorum non praestringuntur, ex ipso loco cognitu facile est, scriptorem agere quidem cum omnibus principii idealis amicis, ante oculos autem imprimis habere, unde vivida illa totius picturae lineamenta repetat, doctrinam Eleaticam; quamquam enim, unitate illa Eleatica iam supra refutata, magis hic conspicui sunt si qui *πολλὰ εἴδη*, quam ei, qui *ἓν εἶδος* statuebant [75]), tamen, ut vel loco allato, *ἓν ἢ καὶ τὰ πολλὰ εἴδη λέγοντας*, patet, praecipue ei spectantur ex *εἰδῶν φίλοις*, qui *ἓν εἶδος* solum colebant, idque lucide potest demonstrari. Quis enim non agnoscet Eleatas in eis, qui corpoream essentiam statuentium *σώματα καὶ τὴν λεγομένην ὑπ᾽ αὐτῶν ἀλήθειαν κατὰ σμικρὰ διαθραύοντες ἐν τοῖς λόγοις γένεσιν ἀντ᾽ οὐσίας φερομένην τινὰ προσαγορεύουσιν*? Eleatae fuerunt, qui principii unitate nixi, materiem pro essentia habentibus hoc imprimis poterant obicere, quod materies unitate caret, *κατὰ σμικρὰ διαθραύοντες* [76]), quod argumentum a *πολλῶν εἰδῶν φίλοις* adhibitum videlicet multo minorem vim habet. Eleatae porro fuerunt, ut constat exemplo Zenonis in Parmenide Platonico, qui modo eristico (*ἐν τοῖς λόγοις*?) rebus corporeis, quia unitate carent, denegabant essentiam (*γένεσιν ἀντ᾽ οὐσίας*) nec minus perpetuum rerum fluxum (*γένεσιν — φερομένην*) proferebant. Huc accedunt diserta Platonis verba 248 B: *τάχ᾽ οὖν, ὦ Θεαίτητε, αὐτῶν τὴν πρὸς ταῦτα ἀπόκρισιν σὺ μὲν οὐ κατακούεις, ἐγὼ δὲ ἴσως διὰ συνήθειαν.* haec sunt eius verba, de quo nihil scimus, nisi esse eum *τὸ μὲν γένος ἐξ Ἐλέας, ἑταῖρον δὲ τῶν ἀμφὶ Παρμενίδην καὶ Ζήνωνα* (216 A); cumque illa verba satis commode possint abesse, cur ea

---

75) Cum his confer Ritteri sententiam not. 73 laudatam.

76) Ad quae verba intellegenda parum sufficiunt allata a Zellero (II, 182 n. 1) et Ribbingio (I, 207 n. 420), ut alios mittam

addiderit Plato, nisi quibus significaret ubi potissimum εἰδῶν φίλοι quaerendi sint, nemo poterit dicere. Omnino autem eorum, qui de Megaricis cogitant, efficacissimum quidem est argumentum, quod alios, quos notari putemus, non habemus, quae vero praeterea proferunt, ea ideo quadrant ad Megaricos, quia quadrant ad Eleatas, a quibus illi sunt orti. Qui vero hunc locum ex universo totius partis, totius dialogi consilio ponderat, is concedet, disputari haec contra omnes idealistas (εἰδῶν φίλους), qui et quatenus erroris, qui notetur, sint participes, fingi autem hic poetico quodam vigore eorum imaginem plerisque lineis ex Eleatarum doctrina desumptis, nisi quod ad eos quoque extendatur reprehensio, qui — sive fuere unquam, sive non fuere [77]), — non unum τὸ ὄν sed plura εἴδη statuant, similes illos quidem extrinsecus Platonis, revera autem puros putos Eleatas.

Sed iam satis de his. veniamus tandem ad examen, cui ipsi non minus quam adversarii eorum subiciuntur. quod quoniam alias bene iam expositum legitur [78]), nolumus pluribus hic enarrare. exhibemus sola, quae ad universum Platonis consilium illustrandum faciant.

Materialistae sunt, quibus corpus et essentia idem est. at quoniam anima eiusque qualitates et adesse corpori et abesse ab eo possunt, esse etiam eas concedendum est conclusione Platonica, cumque, si non animae, saltem eius virtutum incorporea natura negari nequeat, sunt res incorporeae i. e. εἴδη [79]). essentia igitur — sic coguntur concludere materialistae — id est, quod illis simulque corporibus commune sit. quid hoc est? δύναμις τοῦ ποιεῖν ἢ πάσχειν. — Quicumque Sophistae legendi ius sibi peperit lecto Theaeteto quid haec sibi velint statim intelleget. traduxit enim philosophus materialistarum brutam illam et squalentem οὐσίαν

---

77) Alia quaestio est: Megarici an πολλὰ εἴδη statuerint? Quod nobis quidem verisimile esse non videtur.

78) Apud Bonitzium, qui Herculis similis Augiae quasdam cloacas hic perpurgavit (p. 297 n. 10).

79) Mala sane ideae Platonicae definitio! Verum quoniam quaevis idea est ens incorporeum, quodvis ens incorporeum — excipienda fortasse anima — idea, hic sufficiet.

ad sensualistarum commune cum Heraclito principium, perpetuam omnium quae sunt *κίνησιν*, ita ut sit, quod moveatur, moveatur quod sit, *οὐσία* et *κίνησις* sint idem [80]). Quid vero? refutatam iam in Theaeteto illam opinionem cur hic Plato revocat?

Tanquam mater amans, aegrotus cui iacet infans,
Anxia conquirens herbas dirumque venenum
Balnea mente parat scita medicata, suisque
Immergit manibus pueri torpentia membra,
Ut redeant misero vegetamina prisca salusque:
At simulac fecit, ne sint medicamina noxae,
Damnosas effundit aquas virusque recondit —

similiter Plato volubilem illam ac fervidam *κινήσεως* undam praeparavit, quam adhibeat ad animandum et excitandum rigidum illud ac paene emortuum Eleatarum *ὄν*, adhibitam vero *κίνησιν* suae regioni, *γενέσει*, statim remittat. Transfert enim *κίνησιν* illam seu *δύναμιν τοῦ ποιεῖν ἢ πάσχειν*, cui *γένεσιν* tantum Eleatae tribuebant, etiam ad *οὐσίαν*, primum demonstrans, *οὐσίαν*, quatenus cognoscatur, eatenus moveri quoque quodammodo, — de quo postea; deinde exclamans [81]), *τῷ παντελῶς ὄντι* derogare *νοῦν*, *ζωήν*, *ψυχὴν* et propterea *κίνησιν*, id esse nefas. Sequitur, *τὸ παντελῶς ὂν* moveri [82]); cumque igitur id, quod omnibus, quae sunt, commune sit, *κίνησις* sit: *τὸ κινεῖσθαι* videtur esse *τὸ εἶναι*, *τὸ κινούμενον* autem *τὸ ὄν*, quam sententiam Plato, cum *τὸ εἶναι* et *τὸ ὂν* nomine — ut vidimus — non distinguat, expressit sic: *καὶ τὸ κινούμενον δὴ καὶ κίνησιν συγχωρητέον ὡς ὄντα* [83]). Hactenus scriptor cum materialistis, postquam ad sensualismum eos convertit, contra *εἰδῶν φίλους* pugnat,

---

80) Probe tenendum est, *κίνησιν* et *δύναμιν τοῦ ποιεῖν ἢ πάσχειν* hic prorsus esse idem. nam *τὸ ποιεῖν* et *τὸ πάσχειν* non *κινήσεις* sunt sed *ἔκγονα κινήσεως* (sicuti *δυνάμεως*), quae et faciendi (*τοῦ ποιεῖν*) et fiendi (*τοῦ πάσχειν*) quasi est mater. cf. Theaet. 156 A.

81) Secus Hayduckio p. 2 n. 3 visum est.

82) Deest haec conclusio (cf. Bonitz p. 299 n. 11); vix tamen ea possumus carere, nescioque an exciderit.

83) 249 B. nisi forte haec quoque verba (cf. not. praec.) corruptionis sunt participia.

ita ut paene timere incipias, ne iustum sit Schaarschmidtii convicium, eum 'einen groben Realisten' dicentis; at subito vera eius natura emicat simulque ingens discrimen, quo *οὐσίαν* et *γένεσιν* distare censet, hoc modo: 'verum est, nisi *τὸ ὄν* moveatur, tolli eius cognitionem. at nequaquam concedimus *φερόμενα καὶ κινούμενα πάντ' εἶναι* (balneum adhibitum effundit). nam nisi *τὸ ὄν* habet se *κατὰ ταὐτὰ καὶ περὶ τὸ αὐτό*, non minus tollitur cognitio. quod cum ante omnia philosopho cavendum sit, sequitur, ut *τὸ ὄν* simul moveatur et non moveatur, quod puerorum voti inanis est simile'.

Quis non videt, maximam aporiam hic proponi? — at multos viros doctos lusit securitas, qua hanc difficultatem Plato transit, ut multo minorem clamore extollat. Pergit enim sic: '*τὸ ὄν* et movetur et stat. ergo sunt motio et statio (conclusione Platonica), habent essentiam. ergo essentia tertium est praeter duas illas, quod eas in se contineat. ipsa vero essentia *κατὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν* neque movetur, neque stat. quod absurdum est'. Duas igitur habemus sententias, quae bellum gerant civile et externum. primum: *τὸ ὄν* et movetur et stat. tum: *τὸ ὄν* neque movetur neque stat. his adde tertium nodum: *τὸ ὄν* neque potest esse *πολλά*, neque *ἕν*.

Hic finis, haec summa est aenigmatis, quod diximus. Philosophus, quaerens rerum omnium principium, pervestigavit quotquot esse possunt sententias; reliquis omnibus compulsus est ad principii Eleatici unitatem et immobilitatem, sed neque in hac neque in illa licuit persistere. immo ad contraria reiectus in maximas, quas enumeravimus, repugnantias se induit. sequitur, solam eam sententiam veram esse posse, quae omnes aenigmatis nodos una resolvat, eamque deinde exposita idearum communione Plato exhibet. ad quam priusquam transimus, pauca praemittenda sunt. quamquam enim Plato ad ea, quae sequuntur modo prorsus abrupto transit, tamen futurae disquisitionis semina quaedam eis, quae antecedunt, sapientissime iecit, eaque restat ut ostendamus. Orsus erat philosophus a primis philosophiae initiis, nihil praeter essentiam *τοῦ ὄντος* pro fundamento ponens. demonstrando deinde obtinuit *τοῦ ὄντος*

et unitatem et incorpoream essentiam, ita ut, cum idea Platonica sit quidquid habeat incorpoream essentiam, dicere possis, hoc libro demonstrando expugnatam et contra variorum adversariorum obiectiones firmatam prodire omnium primam, utpote dominam et matrem, *τοῦ ὄντος* ideam. sed quoniam haec ipsa entis idea et motionis et stationis particeps sit necesse est, apparet, conclusione Platonica, non minus alias esse duas ideas, *κίνησιν* et *στάσιν*. haec igitur tria demonstratur esse *ὄντως ὄντα*: *κίνησιν* et *στάσιν* et ipsum *τὸ ὄν* vel, ut distinguamus quae non verbis sed re distincta a Platone diximus, *τὸ εἶναι*. Iam vero haec tria non tanquam tria corpora sese invicem excludunt et determinant, sed modo mirifico aliud alius ope indigent. participia enim sunt *τὸ ὄν κινήσεως* et *στάσεως*, *κίνησις* et *στάσις τοῦ ὄντος*, ita ut aliud sit aliud nec tamen sit, videanturque tria illa modo esse discreta atque inimica, modo in unum omnia confluentia. Iamque nunc perspicere licet lepidum, quem diximus, modum, quo duo illa, quae statuimus, *τὸ ὄν* et *τὸ εἶναι* uno vocabulo usus Plato nihilominus distinguat. ut enim veteres rationes arithmeticas geometricis figuris solebant describere, similiter Plato, dum nos dicimus: '*τὸ εἶναι* tertium est praeter *κίνησιν* et *στάσιν*, sed omnia haec tria *τοῦ εἶναι* sunt participia et propterea *ὄντα*' — haec eadem sic effatur: *τρίτον ἄρα τι παρὰ ταῦτα τὸ ὂν ἐν τῇ ψυχῇ τιθείς, ὡς ὑπ' ἐκείνου τήν τε στάσιν καὶ τὴν κίνησιν περιεχομένην* (250 B). Nescio an huic loco particula saltem debeatur laudis, qua logici nostri celebrant eum, cui primo in mentem venerit, miram notionum excludendi et includendi vim pictis circulis illustrare. Sed haec in transcursu. tantum teneamus, tria apparuisse *ὄντως ὄντα*, i. e. tres ideas: *τὸ ὄν, κίνησιν, στάσιν.*

Quae de generum communione deinde Plato profectus a mera experientia demonstrat, genera neque omnia neque nulla, sed certa certo modo sociari, tum 'epica abundantia' [84]) quinque exemplis illustrat, ita ut et *τὸ μὴ ὄν* illud tandem modo, quem vidimus, denudetur et omnino

84) Verba Ribbingii (I, 217).

notionum mira sese recipiendi facultas eluceat, ea omnia, cum et per se perspicua sint et a Bonitzio satis exposita [85]), bene Graece potius legantur, quam male Latine. Sed quaenam sunt illa γένη, de quibus hic agitur? sunt enim, qui Steinhartum (III, 424. 441 al.) secuti distinguendum censeant apud Platonem inter notiones et ideas [86]); quibus hic de mentis notionibus tantum agi videtur. Contra plerorumque consensu eiusmodi distinctio apud Platonem omnino facienda non est [87]). neque nos videmus, quid esse possit Platonis idea praeter notionem vel potius notionis quoddam obiectum, ὑποστάσει effectum. Sed fortasse de notionibus Plato logice hic disseruit quae metaphysice postmodo ad ideas transferret? Hanc Susemihlii (I, 302) opinionem cadere censuerim in κοινά illa Theaeteti (184 C sq.), excludentia neque δόξαν neque errorem, quae ambo perfecta notionis eoque ideae cognitione excluduntur, sicut omnino tota Theaeteti disquisitio mere psychologica est; at Sophistae γένη, de quibus dicimus, ideas esse demonstratu haud difficile est. quamquam nequaquam probare possumus Bonitzii opinionem, qui putat (p. 331) disputationem de generum communione, si ad notiones, non ad ideas pertineret, fore admodum 'trivialem'. fuit enim profecto, cum essent novissima, quae hodie in scholarum logicarum triviis prostant, nec male quodammodo Schaarschmidtius dixit [88]), non minus ista fore trivialia, si ad ideas pertinerent. Sed alia sunt, quibus de ideis cogitandum esse sine ullo dubio appareat. primum enim inter haec γένη et ideas distinguendum esse nullo nusquam verbo Plato indicavit; immo, omnia idearum no-

---

85) Bonitz p. 299 sq. — Nisi quod verba 255 AB a Bonitzio (p. 301) praetermissa μικρολογίας ἕνεκα monemus.

86) Similiter inter ideas Platonicas et notiones distinguit Schopenhauerus (Die Welt a. W. u. V. I, § 49. p. 275 sq. ed. 3); et ille quidem suo iure; non enim interpretari vult Platonem sed emendare.

87) cf. Susemihl in J. J. v. LXVIII, p. 414 sq. Bonitz p. 320. Ribbing I, 212 n.

88) Rh. Mus. 1862, p. 21. Quamquam postea κοινωνίαν propterea vult esse trivialem, quia logica sit, Plat. Schr. p. 217 sq.

mina: ἰδέαι, εἴδη, γένη, passim et promiscue hac Sophistae parte occurrunt, nec desunt alia illa: ὄντως ὄν, μετέχει etc. Idem sequitur ex exemplis, quibus res geritur. Nam τὸ ὄν, κίνησιν, στάσιν ideas esse in praecedentibus a Platone vidimus demonstratum; quae vero accedunt, ταὐτόν et θάτερον, in eorum essentia firmanda multus est, 254 E—255 E, neque video cur tam miram diligentiam ea in re adhibuerit, nisi quia de idearum essentia demonstranda agitur; quae omnia si cui rem dubiam relinquere videantur, ei persuadebunt verba, quibus idea τοῦ μὴ ὄντος describitur 258 B C [89]). Sequitur igitur, ut omnia illa γένη, quorum haec quinque exempla sunt, i. e. omnia rerum praedicata (251 A), cum et adesse possint et abesse (247 A), sint ideae (conclusione Platonica). Quamquam autem huic sententiae, quae ad exponendam generum communionem sine demonstratione sumitur: 'esse ideas omnia rerum praedicata', peti potest ex eis quae antecesserunt quoddam fundamentum, tamen nostra opinione neque ipse Sophista neque Theaetetus sufficiunt soli ad firmandam eius auctoritatem. sed haec ultra nostrum propositum sunt. ceterum, cum eam sententiam mecum repeto, e qua statuit Plato primum logicas notiones, postea metaphysicas ideas, subit animum recordatio mythi in Politico narrati, in quo senes ad infantiam redeunt.

Sunt igitur genera illa, quorum in Sophista exponitur communio, ideae aliudque nihil, neque eorum probamus sententiam, qui alio modo, quam supra dictum est, duplex ὄν statuunt. Iam vero duplicem illam, quam de ente observavimus, naturam latius per notionum systema effusam videmus, quae res, cum ad totam κοινωνίαν perspiciendam utilissima sit, paullo longius repetentibus est illustranda.

Vocabuli 'est', quo subiectum et praedicatum iungimus, nemo non videt vim esse ambiguam. aut enim propriam naturam retinens significat, subiecti essentiam eo, quod sequatur, praedicato referri integram, ita ut subiectum et praedicatum sese invicem involvant et iudicium nascatur

89) Cum his conf., quae in eandem sententiam disputavit Ribbing (I, 212 sq. n.).

q. d. identicum. quoniam vero fieri solet notionum admirabili in omne tempus indole, ut plures notiones in unam coniungere, ab hac vero cum aliis sociata rursus ascendere queas ad altiorem, etiam hic utimur vocabulo est, quo alteram notionem alteri subiectam indicemus. Iamque Graeci, ubi primum cogitandi vim experti sophistarum aetate exsultare coeperunt libertate nondum satis refrenata, cuius rei cum alia apud Platonem exempla sunt, tum Euthydemus exstat celeberrimum documentum: ea aetate maximo fuit subsidio, quo captiones tunc temporis incredibili voluptate exceptae latitare possent, duplex ille usus vocabuli est. ita ut vir gravitate magis quam ingenii lumine insignis, Antisthenes, in prima illa vocabuli vi adeo censeret persistendum, ut nulla iudicia nisi q. d. identica vellet concedere. quaesiverunt, quomodo homo cogitans eo absurditatis potuerit devenire, suntque qui credant, Antisthenem (sicut sophistas) erroris, quem vendiderit, sibi fuisse conscium (*εἰρωνικόν*.) Verum ut etiam nostra aetate esse videmus, qui doctrinam incredibilem et penitus absurdam studeant propagare, nec tamen ideo simulatione utantur, sed candide ac sincere exiguum opinionum systema, quod bene cohaereat, falsum autem sit, cum constet e notionibus falsis, postquam bene diuque expositum tandem intellexere, disputando corroboravere, vivendo adamavere, tueantur postea in omne tempus neque ullis rationum machinis ad veriorem intellegentiam queant propelli, sed mentis angustiis perfruantur errorisque beneficio sint q. d. felices — similiter mea sententia Antisthenis quoque vitium cum Platone et Aristotele in mentis paupertate, *πενίᾳ τῆς περὶ φρόνησιν κτήσεως* (251 C), quaerendum est, idque verum esse optime cognoscitur e labore, quo Plato in Sophistae parte, de qua dicimus, contrariam sententiam studet firmare. Etenim Plato, cum notionum (i. e. idearum) systema variamque earum societatem perspiceret, hanc vero non minus quam identitatem propter incuriam *τῶν τῆς γλώσσης νομοθετῶν,* quam saepe accusat, eodem vocabulo 'est' videret significari, dum accurate loquitur copulae, societatem tantummodo significanti, aliud vocabulum *μετέχει* substituit. hoc igitur vocabulo, quo alias uti solet ad *μέθεξιν ἰδεῶν* significandam, quae est rebus sensibilibus,

in Sophista, ubi de illis omnino non quaeritur, adhibet ad explicandam rationem toto genere diversam, qua alia idea alius est particeps; quod a nonnullis confusum est. Iamque, quamquam *κίνησις* non est *ταὐτόν*, *ταὐτόν* non *τὸ ὄν* etc., nihilominus *κίνησις* quatenus *μετέχει ταὐτοῦ*, eatenus est *ταὐτόν*. hanc igitur duplicitatem per omnes ideas possis persequi, cumque in multis secum ferat speciem quandam ambiguitatis, in aliis etiam duplici vocabuli forma potest internosci (*ταὐτόν, ταὐτότης*; *κινούμενον, κίνησις*); in entis idea, cum formis diversis exprimi queat, a Platone expressa non est. et sic in hoc quoque ambiguitas. quae enim nos dicimus: *κίνησις* est *ὄν* sed non *εἶναι*, Plato duabus vocibus non disiunctis dicit: *κίνησις μετέχει τοῦ ὄντος* (*τοῦ εἶναι* proprie dixisset) sed non est *ὄν* (*εἶναι*); *κίνησις* est *ὄν* et *οὐκ ὄν* [90]).

Magna et paene timida admiratio, qua eiusmodi sententiam scriptor promit non minus quam lata illa et operosa diligentia, qua omnia ab omni parte studet firmare, diserto testimonio sunt, fuisse haec omnia illo tempore perquam nova. sicut autem puerulis, dum incalescunt narrando quae nobis dudum sunt notissima, haud invitas aures praebemus, similiter est quaedam voluptas spectare Platonem, dum prima omnis philosophiae cognitionis fundamenta, haud nescius ipse [91]), iacit. Iam vero ponas cum Schaarschmidtio (p. 221 sq.), ei qui Sophistam scripserit, praesto fuisse amplum illum Aristotelis apparatum logicum. quae caussa potest fuisse, cur, cum haec suppeditarent, in illis sese mallet excruciare?

Venimus ad extremam huius negotii analytici partem, qua generum communionem edocti illas studeamus vincere difficultates, quae *τὸ ὄν* quaerentibus in tam horridum aenigmatis ambitum excreverant. ac primae illae de numero entium dubitationes subito evanescunt. ens neque unum est neque plura, quia utrumque est. unum ens est, quod infini-

---

90) Conferas imprimis locum 256 AB.

91) 261 B. *τί γὰρ ὅ γ' ἀθυμῶν ἐν τούτοις* (non 'quae leviora sunt ac faciliora' ut putat Stallb., sed 'quae omnium aliorum fundamenta sunt' ut manifestum est ex insequentibus:) *δράσειεν ἂν ἐν ἄλλοις ἢ μηδὲν ἐν ἐκείνοις ἀνύτων ἢ καὶ πάλιν εἰς τοὔπισθεν ἀπωσθείς;*

tum eorum quae sunt, i. e. idearum, numerum amplectatur; unum, quod in plura se findat, plura, quae in unum coeant. Nec difficilius is resolvitur nodus, quem pro difficillimo se habere scriptor simulaverat. '*στάσις* et *κίνησις* sunt. id vero, quo sunt, *τὸ ὄν* neque *στάσις* est neque *κίνησις*. *κατὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν ἄρα τὸ ὂν οὔτε ἕστηκεν οὔτε κινεῖται*' (250 C). rectissime, *κατὰ τὴν αὑτοῦ φύσιν*. quoniam vero nihil obstare vidimus, quominus ideae etiam eorum fiant participes, quae extra propriam naturam sunt, hac quidem a parte nihil impedit, quominus *τὸ ὄν*, quamvis a *στάσει* et *κινήσει* secretum, tamen vel moveatur, vel stet. Haec nos traducunt ad difficultatem omnium ultimam et gravissimam, quam si contigerit feliciter enodare, nihil restabit in Sophista, quod explicationem non habeat.

Τὸ ὄν, τὸ παντελῶς ὄν, i. e. totum idearum regnum cognosci nequit nisi movetur, cognosci nequit nisi stat, semper idem manet; *τῷ δὴ φιλοσόφῳ καὶ ταῦτα* (cognitionem) *μάλιστα τιμῶντι πᾶσα, ὡς ἔοικεν, ἀνάγκη, διὰ ταῦτα μήτε τῶν ἓν ἢ καὶ τὰ πολλὰ εἴδη λεγόντων τὸ πᾶν ἑστηκὸς ἀποδέχεσθαι, τῶν τε αὖ πανταχῇ τὸ ὂν κινούντων μηδὲ τὸ παράπαν ἀκούειν, ἀλλὰ κατὰ τὴν τῶν παίδων εὐχήν, ὅσα ἀκίνητα καὶ κεκινημένα, τὸ ὄν τε καὶ τὸ πᾶν ξυναμφότερα λέγειν* (249 C).

Magno et paene dixerim nimio testimonio est, quantam a legentibus diligentiam et industriam Plato postulet, quod hanc immanem difficultatem, tanquam rem promat patentem, praeterit, neque eam directo in eis, quae sequuntur, rursus tangit, nisi forte huc referenda est, quam postea dicit, *στάσιμος κίνησις* (256 B), quae res mihi non satis liquet [92]) neque fere magni momenti est. Illa vero Platonis

---

92) 'Unverkennbar ist die Rückbeziehung' iudice Bonitzio (p. 302 n. 16), suntque quae hanc opinionem commendent. Quae vero me cogant in dubio rem relinquere haec sunt: primum loco 256 BC forma conditionalis *εἴ πῃ μετελάμβανεν — οὐδὲν ἂν ἦν ἄτοπον* videtur indicare, sermonem hic esse de eis, quae fieri nequeant. deinde de communione *στάσεως* et *κινήσεως* sermo est, quae nequaquam 'mittelbar' sequitur, si *τὸ ὂν* utriusque est particeps. denique *ἐλέγχοντες ὡς ἔστι κατὰ φύσιν ταύτῃ* possis quoque vertere:

calliditas multos viros doctos in errorem induxit. Primumque haud desunt, qui, dum ad minorem difficultatem animos advertunt, neque observant neque explanant maiorem [93]). Alii eatenus rem tetigerunt, ut hoc unum intellegas, propriam loci vim eos fugisse; sive hanc statuunt sententiam 'et *κίνησις* et *στάσις* sunt' [94]); sive hanc: '*τὸ ὂν* aut movetur aut stat' [95]); sive nescio quam *τοῦ ὄντος* mixtionem scriptori sibi videbantur obicere posse [96]). Venimus ad eos, qui rei obscurae mysticam interpretationem convenire videntur putasse. Et quae quidem Astius, verba a Schleiermachero mutuatus, narrat de motu et statu in essentia, quam 'vitam' dicit, sese invicem 'penetrantibus', ea ipse fortasse non magis potuit intellegere, quam nos [97]). Contra Steinhartus in *τῷ ὄντι* omnia contraria 'sublata' esse dicit, ad quod miraculum efficiendum deum introduxit — ex machina, si quid sentiam licet dicere [98]). Alteram verborum Platonis partem nimis, alteram parum prementes recentiori aetate sunt qui putent, in Sophista doceri idearum mobilitatem seu motionem. hinc Deuschleus quaenam sit illa *ἰδεῶν κίνησις* comparatis aliis Platonis de motione sententiis studuit rimari [99]),

---

'refutantes, hoc natura fieri posse,' et ad eos locos referre, ubi *κινήσεως* et *στάσεως* communio *ταῖς μεγίσταις ἀνάγκαις ἀδύνατος* dicitur 252 C. 254 D. 255 E. cf. 250 A sq. Sed. ut dixi, non liquet, neque Heindorfi (p. 413) et Schleiermacheri (p. 343) aliquid excidisse suspicantium sententia tangitur eis, quae contra Stallbaumius (p. 195) incassum disseruit.

93) Brandis II, 214. Deuschle p. 304. Munk p. 429. Alberti p. 187. Stein p. 226.

94) Ritter Gesch. d. Ph. II, 248. Susemihl (?) p. 300 'Man muss daher vielmehr Bewegen so gut wie Bewegtwerden für seiend erklären oder, was dasselbe sagt, dem Sein beilegen. Grote p. 441: 'the intelligible world contains — change and unchangeableness. cf. p. 461 n.

95) Socher p. 266.

96) Schaarschmidt Rh. Mus. 1862, p. 13.

97) Ast p. 212.

98) Steinhart III, 439. Nihil enim ad hunc locum illustrandum facere episodium (249 A) postea demonstrabitur. Steinhartum alii secuti sunt. cf. quae contra eos disseruit Ribbing I, 214 sq. n. 428.

99) Deuschle in J. J. vol. LXXI, 1855, p. 176—181.

Zellerus non moveri sed movere ideas ratus pro viribus eas accepit, quae rerum sensibilium sint caussae effectrices [100]); motum idearum a sene Platone doceri Uebervegius [101]), motum idearum a Platone doctum esse non posse Schaarschmidtius [102]) censuere; eundem motum Hayduckius defendit, κινήσεως ideam nimirum κινεῖσθαι (secundum illud 'pistores quod edant semper habere solent') parum feliciter ratus [103]), — omnes omnino, puto, non satis secum reputantes, cur et quatenus Plato moveri ideas dixerit [104]). Contra Schleiermachero obversata esse videtur ea, quam plerumque dicunt rerum in ideis inhaerentiam [105]). quam sententiam sic possis tueri: ideae semper eaedem manent. cum vero adsint rebus sensibilibus, eae autem perpetuo fluant, etiam ideae alia aliam semper excipiunt et quasi expellunt et propterea, quamquam nunquam mutantur (ἀλλοιώσει), tamen in perpetuo motu (φορᾷ) sunt. at si rem accurate perpendis non ideas moveri sed tantummodo res sensibiles facile concedes. nam non formae accedunt et abeunt, sed res in similitudinem formarum excrescunt et decrescunt [106]). Utut autem ea res est, Sophista, ut postea

---

100) Zeller, Ph. d. Gr. II, p. 437 sq. Nequaquam hanc opinionem per se reprobamus, sed ab hoc loco arcendam censemus.

101) Ueberweg, Untersuchungen p. 275 sq. cf. Grundriss d. Gesch. d. Ph. I, (ed. 2) p. 107.

102) Schaarschmidt, Rh. Mus. 1862, p. 11. Plat. Schr. p. 205 sq.

103) Hayduck p. 15 sq.

104) Mirifico modo Bonitzius (p. 328) quamquam recte cogitavit de possibilitate communionis, qua ideae sint 'vires', tamen, quia κίνησις et στάσις sint ὄντα, τὸ ὄν quoque censet posse κινεῖσθαι et ἑστάναι, 'da in der Gemeinschaft Gegenseitigkeit liegt' (!). — Transire cogor Ribbingium, quia eius dicta (I, 209 sq. n. 425) dedita opera ad sententiae unitatem colligere nequivi.

105) Schleiermacher p. 91: 'Zuerst wird auf das wahre Leben des Seienden, in welchem sich alle Gegensätze durchdringen, hingewiesen, und zugleich darauf, dass Erkenntniss weder ohne Ruhe noch ohne Bewegung, weder ohne stehendes noch ohne fliessendes, weder ohne Beharren noch ohne Werden bestehen könne, sondern beider ineinander bedürfe.' cf. etiam Susemihl I, 299 sq.

106) Omnino, si licet opinionem iacere de re graviori, totum

demonstrabimus, in idearum cum rebus sensibilibus relationem omnino non inquirit, qua in re etiam Stallbaumium [107]) lapsum videmus, qui ceterum hoc quidem loco verae explicationi proximus est omnium.

Sed iam quid ipsi sentiamus exponendum est. — Ideae moventur et non moventur. Non moventur: nam sese semper habent *κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως καὶ περὶ τὸ αὐτό* (249 C). et quamquam ideas in spatio non esse hoc quidem dialogo non docetur, tamen vel per se apparet, de ea motione, quae in *ἀλλοίωσιν* et *φοράν* a Platone dividitur [108]), quae id, quod movetur, ad *γένεσιν* detrahit, propter illud *κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως περὶ τὸ αὐτό* omnino non esse cogitandum. immo mirifica quaedam esse videtur motio, quae nihilominus ideis ascribitur, neque eam cernere possis nisi quaesieris, cur hic ideae moveri dicantur. Duae sunt caussae [109]), quarum quae secundo loco legitur, ea caussa non est. Subito enim scriptor modo abruptissimo exclamat: 'quid? *τῷ παντελῶς ὄντι* potestne negari *νοῦς*? sin autem *νοῦν* habet, nonne vitam, si vitam nonne animam, si animam nonne motionem habet?' — Strenua dialectica, Sophistae dialogi decus, his verbis, quae neque cum antecedentibus neque cum sequentibus cohaerent, subito interrumpitur; non iam certis notionibus sed mythice per anthropomorphismos q. d. res agitur; optatur, non demonstratur [110]); futurae

---

hoc certamen, sintne ideae Platonis rebus 'immanentes' an 'transcendentes,' nescio quid habet permiri. cum enim Plato disertis verbis omne spatium ab ideis arcuerit, lepida res est quaerere et disputare, ubi locorum ideae quaerendae sint. Plato vero, dum spatium ideis non concedit, vetare mihi videtur, ne de communione idearum et sensibilium ultra imagines, quibus ipse utitur, progrediamur.

107) p. 40. '(ideae), quum et ad se ipsas et ad res singulares, quae iis subiectae sunt, referantur, quandoquidem ita demum aliquam inter se habent communionem, etiam moveri existimandae sunt.'

108) Theaet. 181 CD. Parm. 138 B.

109) Has duas *ἰδεῶν κινήσεως* demonstrationes confudit Schaarschmidtius (Rh. Mus. 1862, p. 13), quod post Hayduckium (p. 17) iterum monendum est, quia Schaarschmidtius errorem manifestum Hayduckio non concessit, respondens contra, quae legere operae sit pretium (Pl. Schr. p. 213 n. 2).

110) Rectissime de hoc loco Bonitzius iudicat p. 331.

quaestiones portenduntur, non tractantur praesentes; neque dialogum illa illustrant, neque ex eo lucem accipiunt. idque ipse scriptor satis declaravit, finito hoc episodio efficiens conclusionem insequentem (*ξυμβαίνει γοῦν κτλ*) unice ex eis, quae episodium ipsum antecedunt. ex his igitur solis, quaerentes quam *κίνησιν* ideis Plato tribuat, lucem petimus. demonstratur autem ibi sic: mens cognoscit, ideae cognoscuntur. cognoscere est facere, ergo ideae, si cognoscuntur, patiuntur et — *διὰ τὸ πάσχειν* — moventur. igitur: 'quatenus ideae cognoscuntur, eatenus moventur' [111]. Sed quid omnino cognitioni cum motione est commune? — Duplex cognitionis munus est, primum, *εἰς μίαν ἰδέαν συνορῶντα ἄγειν τὰ πολλαχῇ διεσπαρμένα*, deinde *πάλιν κατ' εἴδη δύνασθαι τέμνειν*, ut legitur loco Phaedri notissimo (265 D sq.); aut enim plures notiones uni subiungis, aut unam in plures secas; aut ascendis aut descendis in notionum gradato systemate, idque est negotium cognitionis et praeter hoc nullum. iam vero quis non videt hanc seiungendi et coniungendi industriam apte et commode sub imagine motionis repraesentari? qui sic cum notionibus agit, i. e. qui cognoscit, is movet quodammodo notiones; quod vero facit in notionibus, id fit in ideis, notionum obiectis; quatenus igitur cognoscuntur, eatenus moventur. Est igitur idearum motio aeterna illa relatio, qua alia alius vario modo est particeps, una plures, plures unam efficiunt et quasi gignunt, denique quidquid de *κοινωνίᾳ γενῶν* subinde docetur et exemplis illustratur. Bene hic teneas, cognitionem Platonis sententia excludere errorem. etiam qui errat in *κοινοῖς* versatur; sed ideae non reagunt q. d.; quidquid autem volvendo et movendo veras notiones efficitur, ei respondet idearum constans et aeterna relatio. similes sunt ideae speculo, quod, quamvis vitream planitiem retineat *κατὰ ταὐτά, ὡσαύτως*, tamen quidquid extra movetur, id fideliter

---

111) Mittamus Schaarschmidtium falso hic concludi putantem (Rh. Mus. 1862, p. 13), Hayduckium parum (p. 18) Albertium satis respondentem (p. 189. 196) quamvis nequaquam ideo a Schaarschmidtio laudatum (Pl. Schr. 214 n. 1.) — nam hi omnes, ut dicam sententiam meam, a vera vi loci procul absunt.

refert. Iam et illud apparet, quo pacto ideis statio simulque motio tribui possit. non vera est motio neque esse potest, quia excluderet stationem, sed motionis imago, sicut, ubi generum communio exponitur, talia verba: *δύνασθαι, ἐθέλειν, κοινωνεῖν, αἴτια εἶναι ἀλλήλων* et alia passim adhibentur. Quaevis idea per se quidem aeterna est et ultra ullam mutationem; nihilominus autem omnes ideae necessario ad unum idearum systema coniunguntur. velut omnes ideae per se sunt; nihilominus sunt, quia entis ideae sunt participes; in qua re tantopere interpretes haeserunt [112]. simili modo omnes ideae, quamvis alieno subsidio nequaquam indigent, tamen sese invicem excludunt et involvunt, sustentant et extinguunt (*τὸ μὴ ὄν*). Nemo non concedet, hanc dissidentem idearum naturam a Platone perbene pingi verbis: Ideae non moventur et moventur.

Ascendimus summum totius dialogi fastigium; finis hic est omnium difficultatum simulque officii nostri analytici. Antequam vero omnia quae singillatim tractavimus synthesi ad unitatem studemus colligere, paucis dicendum est de ratione, quae rebus in Sophista expositis ad res sensibiles sit. Qua de re post ea, quae hic illic diximus, breviter potest agi. Quamquam est quaedam voluptas, res sensibiles cum ideis quam arctissime coniungere, tamen ubivis bene tenendum est, esse eas ab illis et manere toto genere diversas; quamobrem si in communione generum forte vocabulo *μετέχει* philosophus utitur aliisque similibus, nequaquam inde opinari licet, ideas deduci ad res sensibiles, quod nunquam fieri potest. immo ab ideis per ideas ad ideas Plato illa parte transit, posteaque, ubi ad ostendendum errorem mixtio alicuius opinionis cum aliquo non-ente erat probanda, sic rem gerit, ut inductione demonstret, opinionis ideam mixtam ideae non-entis efficere erroris ideam; nam si ideae possunt

---

112) Bonitz p. 326: 'Während nämlich einerseits der Inhalt eines jeden Begriffes, weil Object des Erkennens, darum an sich ist, kommt ihm andererseits das Sein aus der Gemeinschaft mit der Idee des Seienden, und die ihm an sich zugeschriebene Realität wird dadurch eine bedingte, aus der Beziehung zu einer andern Idee entlehnte.'

iungi, etiam res empiricae eis subiectae iunctionem non refugiunt. Quamquam autem posita illa quam dicere solemus conclusione Platonica (de qua postea), funditus, ut vidimus, deducitur idea entis et aliae, neque cur subito Plato omnia illa γένη ideas esse velit (251 B sq.) dubitare possis, cum ad omnia possit adhiberi id, quod de paucis ante est demonstratum (247 A sq.): tamen Ribbingio (I, 209 n.) accedere nequimus, putanti, hoc esse dialogi consilium, ut exemplis doceatur quomodo in γενέσει οὐσία analysi possit deprendi. nam neque illud κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως nisi brevissime 249 C probatur, sed ab εἰδῶν φίλοις sumitur, et γένεσις, postquam illud ea non contineri cognitum est, sine mora seponitur (249 B). Omnino autem Plato hoc quidem in dialogo rebus sensibilibus non utitur nisi quasi ἐπιβάσει, unde simulatque ad ideas evolavit, illas omittit, in harum sublimitate versatur.

Perlustravimus omnes Sophistae dialogi partes, videturque relictum esse obscuri nihil. Restat ut iam brevibus supremum libri consilium statuamus et quomodo ab hoc omnia pendeant, quatenus egeat monitione, moneamus.

Recte fecit Bonitzius, quod sententias parum accuratas, quae tunc de Sophistae consilio ferebantur, contudit (p. 320—324). quam vero deinde proposuit suam sententiam, ei accedere nequimus. primumque, cum antea soleret putari, fundamenta de ideis doctrinae in Sophista iaci, Bonitzius censuit, hac ipsa doctrina niti quaecumque in hoc dialogo disserantur. quod imprimis probare studuit ea, quam diximus, conclusione Platonica. concludi enim sic: 'anima est iusta. ergo iustitia est' [113]). Verum est, hanc conclusionem per totum dialogum esse frequentissimam. et quidem positis ideis haec sequitur conclusio, non autem ubi conclusio adhibetur positas esse

113) Plat. Stud. II, p. 320. Huc etiam redeunt quae addit p. 323. Adiungit, ei qui condere voluisset de ideis doctrinam non licuisse pro fundamento ponere (hoc non dixit, sed ni fallor debuit dicere) Megaricam doctrinam. sed quatenus eam fecit suam, eatenus, omnes alias excludendo, eius veritatem demonstravit, ut vidimus; neque deest illius κατὰ ταὐτὰ ὡσαύτως brevis probatio 249 C,

ideas licet colligere. Immo, cum modum intueor, quo adhibetur, veri similius mihi videtur esse, fuisse ipsam hanc conclusionem quasi pontem, qui Platonem ad ideas traduxerit. Quo enim iure sic concludat ipse satis dixit: *ἀλλὰ μὴν τό γε δυνατόν τῳ παραγίγνεσθαι καὶ ἀπογίγνεσθαι πάντως εἶναί τι φήσουσιν* (247 A), eaque caussa adeo sufficere ei videtur, ut ne materialistis quidem satis verecundis reicere eam putet licere. Quam vero naturalis et per se patens ei haec conclusio videatur, optime elucet ex eo, quod, postquam docuerit '*τὸ ὂν* movetur et stat', deinde, quamvis nonnullis interpositis ne repetat quidem illam sententiam, sed, tanquam adderet quae in ea simul contineri nemo non videret, statim introducat conclusionem: 'motio et statio sunt' 250 B [114]). Quamquam autem, ut vidimus, fundamentum quoddam idearum doctrinae etiam e Sophista repeti potest, tamen omnia, quae huc pertinent, nimis breviter transiguntur, quam quibus solis vel primis Platonem ideas posuisse sit verisimile, id quod supra exposuimus.

Sed videamus, quae deinde Bonitzius statuat. Profectus, ut videtur, ab Herbartii de origine Platonici systematis opinione, qualem emendavit Struempellius [115]), Platonem censet primum ideas statuisse rerum qualitates, quibus essentiam non adnumerat; ne tamen omnia iudicia praeter identica tollere cogeretur, deinde *τὸ ὂν* ab ideis secernentem statuisse communionem idearum et inter se et cum entis idea, constantia systematis, quae postulet ut ideae essentiam in se ferant non a *τῷ ὄντι* accipiant, corrupta et sublata. Schaarschmidtius, cui omnia videntur placere, quibus Sophistae scriptor appareat deterior, hoc quoque est amplexus. sed *οὐσίας* ideam etiam ab eo statui, qui Theaetetum scripserit, patere mihi videtur [116]); illa vero Herbartiana de

---

114) Eandem sententiam aliis de caussis defendit Ribbing I, p. 210 n.

115) Herbart, de Platonici systematis fundamento. 1805. Werke XII, p. 63—96. Struempell, Gesch. d. theor. Phil. d. Griech. (p. 112 sq.).

116) Quamquam enim mea sententia in Theaeteto nondum de ideis, sed de *κοινοῖς* errorem non excludentibus agitur, tamen cum

Platonici systematis origine opinio quantis dubitationibus sit obnoxia, Ueberwegius exposuit [117]), neque hodie est absoluta quaestio, utrum essentia inter qualitates sit numeranda, necne [118]). Utut autem est, certe per se nihil obstat, quominus Plato tum iam, cum primum ideas animo conciperet, eam secutus sit opinionem, quae postmodo caussa fuit cur demonstratio de existentia q. d. Dei ontologica propagatam per tot saecula traheret auctoritatem. Sed quales fuisse censeamus Platonis ideas, priusquam communionem earum doceret? Vix aliae possunt fuisse, quam immotae illae et rigidae eorum ideae, quos *εἰδῶν φίλους* Plato reprehendit [119]), cumque omnia, quae de eis narrentur, conveniant cum Platonis ea, quam Bonitzius putat, priori doctrina, quidni hanc notari cum Ueberwegio (cf. n. 73) mavult statuere, quam dubiam illam de Megaricis opinionem sequi? Sed nescio an secum pugnet Bonitzius, quia Phaedrum — rectissime, putamus — iuventuti Platonis tribuit [120]), Phaedrum, in quo ea disseruntur de *εἰδῶν διαιρέσει* et *συναγωγῇ*, quae antecesserit necesse sit quaedam de generum communione opinio. Accedit, quod eadem *πολλότης*, quam in rebus sensibilibus effugimus, statim in ideis recurrit statimque earum quoque unitatem debet poscere.

Plato ideam *ὁμοιότητος, ἀνομοιότητος, ταὐτοῦ, θατέρου, ἑνός* statuat, non intellegitur, quidni etiam idea sit *τοῦ εἶναι* et *τοῦ μὴ εἶναι*, quae ibidem (Theaet. 185 D) enumerantur. — Quae Schaarschmidtio (Rh. Mus. 1862, p. 15) respondit Hayduckius (p. 28), ea suo iure Schaarschm. (Pl. Schr. p. 203) non concessit. Nam Hayd. ideam *τοῦ ὄντος* in Sophista reperiri infelicissime negat. nihilominus ideam *τοῦ ὄντος* a Platone statui demonstrare studet loco reip. p. 509 B., ubi tamen *οὐσίαν* dici quidquid cognoscatur, i. e. omnes ideas, nemo non videt. Quod vero Schaarschmidtius (Pl. Schr. p. 203 n.) respondet, ideam boni dici *αἰτίαν ἐπιστήμης καὶ ἀληθείας*, non dici *αἰτίαν τοῦ εἶναι* vel *τῆς οὐσίας*, id conferre iuvat cum ipso reip. loco 509 B: *ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναί τε καὶ τὴν οὐσίαν ὑπ' ἐκείνου* (*τοῦ ἀγαθοῦ*) *αὐτοῖς* (*τοῖς γιγνωσκομένοις*) *προσεῖναι*. — Sed nimis facile est, talia refellere!

117) Untersuchungen p. 270 sq.

118) Quod censet Ribbingius p. 211 n. 425 extr.

119) Hoc monuit Ribbingius, I, 210 n.

120) Plat. Stud. II, 280 n. 22.

Omnino vero, quamdiu de ordine librorum Platonicorum tam diversae sententiae feruntur, quales nuperrime emergere vidimus, lubrica res est in statuendo dialogi consilio reliqua philosophi opera respicere. Unum est certissimum: Sophistam sequi Theaetetum, quaeriturque primum, Plato, cum Theaetetum scriberet, habueritne iam in animo, adnectere trilogiam, quam inchoatam postea adiunxit, i. e. quaeritur, nonne Sophista quoque fuerit in illo libello, quem Euclides cum Terpsione communicet? Plerique rem transiere. Munkius, suae hypothesi obnoxius, Euthyphronis gratia etiam trilogiam fuisse in Euclidis libello affirmavit [121]). Verum enimvero nos idem praefracte negamus. nam e fine Theaeteti nihil licet concludere [122]); sed e prooemio eiusdem libri necessario sequitur, Platonem, cum haec scriberet, solum Theaetetum componere sibi proposuisse [123]); et illud quidem, quod varii varie censent, Platonem inter Theaetetum et Sophistam alia composuisse, verumne sit nescio; hoc vero scio, Platonem, cum Theaetetus Sophistam non postulet, si alia scripta tempore intercesserint, non coniuncturum fuisse Sophistam cum Theaeteto, nisi arctissime eos cohaerere voluisset indicare. Haec vero ad consilium Sophistae statuendum maximi sunt momenti. quod quo magis appareat, parvum accipe prooemium.

Dialogorum Platonis consilium duplici modo potest quaeri. Aut enim eam studes assequi sententiam, sub cuius vexillo facillime possis varias operis partes ad unitatem colligere: quod quo facilius fit, eo perfectius est opus. haec quaestio ad artem pertinet. Aut rimari studes, quae caussa scriptorem impulerit, ut praesens opus componeret; unde profectus ad hanc potissimum sententiarum coniunctionem pervenerit: haec quaestio, cum genesin operis perquirat, historica est. Quo minus tale alterum consilium extra illud aestheticum deprendis, eo perfectius est opus. quamvis autem geneseos vestigia ab opere perfecto quivis artifex studeat

121) Natürl. Ordn. d. Pl. Schr. p. 421.

122) cf. Bonitz II, p. 285 cum n. 1.

123) Hoc e toto exordio apparet. velut e verbis: *ἔφη δὲ τῷ τε γεωμέτρῃ Θεοδώρῳ καὶ τῷ Θεαιτήτῳ.* 143 B.

detergere, tamen saepe remanent, nescioque an plenius satiusque etiam Platonicorum quorundam operum compositio perspici queat, si in eis, quae ex universo libri consilio minus commode intelleguntur, quaeratur, nonne diversi ab initio consilii, a scriptore subinde mutati, testimonia sint. sed res ideo perdifficilis est, quia illud πρῶτον κινοῦν compositione obrutum nonnisi extrema coniectura potest contingi. Qua in Sophista opus non est. nam quod raro apud Platonem fieri solet, id hic habemus, ut utriusque, quod diximus, consilii perspiciendi plena sit potestas, et utroque exposito apparebit, id quod primum Sophistae consilium in mente Platonis genuerit, etiam dialogi, qualem habemus, supremum esse propositum.

Duo maxima ante Platonem systemata philosopha erant, Heracliti qui πάντα ῥεῖν, Parmenidis, qui τὸ πᾶν ἑστάναι docuerant. Necessitatem cum utroque sese comparandi, utrumque superandi quam vivide senserit Plato, testantur verba Theaet. 181 A. Et contra Heraclitum obtinuit doctrinam de ideis in Theaeteto, — nam qui Theaetetum scripsit, is ideas habuit — Parmenidem, cuius doctrinam, si ἐν παρέργῳ tractetur, indigna pati censet (Theaet. 184 A), differt in aliud tempus (183 D sq.). Haec sunt ipsa Sophistae incunabula. Eisque respondet perfectum opus accuratissime. Nullum consilium, nulla sententia reperiri potest, e qua totus Sophista ad strictissimam omnium partium unitatem comprehendatur, praeter hanc: P a r m e n i d i s, p r i n c i p i s p h i l o s o p h o r u m, d o c t r i n a r e c t e c o n s i d e r a t a a d P l a t o n i s i d e a s s e e x p a n d i t. Iam vero hic a Parmenide ad Platonem transitus non theoretice docetur, sed vivido modo summaque arte oculis nostris spectandus proponitur. Hunc esse finem operis, hanc unitatem, ad reliquas dialogi partes quod attinet, mox facile apparebit; una de re assensum vi tibi conabor extorquere. Quod quamvis audax sit et periculosum, tamen si refugimus, quomodo Sophista ad hanc miram compositionem excreverit, haud facile erit dictu. Sed iam videamus, quomodo singulae dialogi partes unam illam, quam proposuimus, sententiam exprimant, vel, quod in hoc dialogo idem est, quomodo Plato profectus ab illa sententia ad hoc opus componendum videatur pervenisse.

Perlustrantibus carminis Parmenidei fragmenta, quibus pepercit temporum tristissima in hoc imprimis opere iniquitas, duo potissimum eorum, quae de ente Parmenides narrat, conspicua sunt, quod unum est et quod immobile est. Huic respondet, quod duo potissimum Zeno impugnavit, multitudinem et motionem. et sic Plato quoque Eleatarum doctrinam brevissime amplectitur his: *διϊσχυρίζονται, ὡς ἕν τε πάντα ἐστὶ καὶ ἕστηκεν αὐτὸ ἐν αὑτῷ* (Theaet. 180 E). Huc accedit tertium, quod Parmenides omne *μὴ εἶναι* etiam atque etiam pernegabat. Haec tria Eleatismi fundamenta totidem columnae sunt, quibus interioris Sophistae partis aedificium exstructum est. Diximus, in Sophista omnes omnino philosophos recenseri; sed ita recensentur, ut eorum multitudo ad unitatem, corporea essentia ad incorpoream compellatur, i. e. ut omnes in Eleatismum desinere demonstretur [124]). Omnia principia philosophorum in Eleatismo extinguuntur, Eleatismus ad idearum regnum evolvitur. *Τὸ ὂν* non solum *ἓν* est sed simul *πολλά*, non solum *ἀκίνητον* sed simul etiam — quodammodo — *κεκινημένον*; *τὸ μὴ ὂν* non solum non est (*ἐναντίον τοῦ ὄντος*) sed simul etiam est (*ἕτερον τοῦ ὄντος*): aliter enim neque principium differentiae idearum esset, neque mendacium aut error possent explicari, quae tamen esse constat exemplo sophistae. Hinc nascitur sophistae quaerendi — si qua est — necessitas. Cum enim intima Platonis a Parmenide sit discrepantia, quod non unum immotum statuit, sed plura, quae, quamvis in unum coeuntia (*κεκινημένα*), tamen disiuncta inter se sint ac diversa, haec diversitas non melius poterat illustrari, quam si demonstrabatur, posse notiones imperfectas, quae

---

124) Haud diffiteor, Parmenidem a repraesentatione *τοῦ ὄντος* non omnia corporea praedicata arcuisse (cf. Zeller, Ph. d. Gr. I, 403 sq.), sed Plato non imperfectam principii formam sed ipsum principium ubivis spectare solet (Soph. 246 D: *ἡμεῖς δὲ οὐ τούτων φροντίζομεν, ἀλλὰ τἀληθὲς ζητοῦμεν*); sicut autem in Theaeteto sensualismum melius defendit, quam ipsi eius auctores videntur potuisse, etiam Parmenidi, quamvis eius inconstantiam haud ignoret (Soph. 244 E sq.) principium tribuit ideale (Theaet. 180 E: *οὐκ ἔχον χώραν ἐν ᾗ κινεῖται*. Soph. 249 C: *τῶν ἓν ἢ καὶ τὰ πολλὰ εἴδη λεγόντων*).

tamen idearum umbrae quaedam esse non desinunt, errore et mendacio permutari. cuius rei lucidius exemplum esse non poterat, quam sophistae. accedit, quod error et mendacium e Parmenidis doctrina non solum explicari nequibant, verum etiam principii consequentia erant neganda; ita ut fortasse omnia illa, quibus Platonis aetate errorem esse nequire obtinebant, originem duxerint e schola, qualis tum erat, Eleatica sophisticis studiis haud aliena. Elegans Bonitzii observatio est, Platonem eo libro, quo omnia philosophorum principia amplexus sit, sophistae quoque suum locum extra philosophiam assignasse [125]; ante omnia autem ideo videtur sophistam quaerendum proposuisse, quia is erat, cuius definitio esse non poterat, nisi antea Parmenidis vetitum illud μὴ ὄν iussumque simul ὄν confringebatur. Quamquam, cum plenam ac iustam sophistae definitionem ab initio usque ad finem dialogi non reperiri demonstratum a nobis sit, hac quidem a parte propositum non persolvitur, videturque Plato ea re docere voluisse, omnia illa, quae pinguntur, disparata πολυκεφάλου sophistae studia uno definitionis vinculo nequire colligi. quatenus vero sophistae definitio esse potest, eatenus haud deest. εἴδωλον et ψεῦδος sunt, quae Platonis opinione ipsam sophistae naturam constituant; et hae eius notae ad Eleatas convincendos sufficiunt. hae autem notae, unice verae, non dividendo inveniebantur, sed ita, ut in sophistae indolem, qualis usu constaret, acrius inquireretur. Contra divisionibus illis quidquid efficitur, id, quamvis sophistae naturam partim haud male illustret, tamen nihil minus quam iusta definitio est. Iamque non amplius differre licet pavidum de divisionibus illis iudicium, quamvis haud facilem apud viros doctos fidem sit habiturum. Sed antea, quo quaestionis difficultas appareat, aliorum excutiamus opiniones.

Sunt, qui divisionibus aliorum philosophandi methodum carpi censeant, ignotorum, ut Astius (p. 215) Megaricorum, ut Stallbaumius (p. 32 sq.) putant. Caussas neuter addidit. Nec magis muniit sententiam suam Groenius [126]: Platonem,

125) Plat. Stud. II, 318 sq. 324.

126) Groen van Prinsterer, prosopographia Platonica, Lugd. B. 1823, p. 75.

cum multi Eleaticae dialecticae laudem falso sibi arrogarent, hospite introducto 'exemplo docere voluisse, quantum inter ipsorum rationem et germanam Eleaticam Dialecticam interesset.' Socherus (p. 262 sq.) et qui illum sequitur Schaarschmidtius (p. 187 sq.) divisiones in caussis habuere, cur Sophistam a Platone abiudicarent; sicut autem omnino optime se rem suam commendaturos esse arbitrabantur, si pessima quaeque in Sophistae scriptorem congererent, has quoque divisiones, quia malae sunt, ideo Platone censuere indignas, haud satis secum reputantes, imitatoris vel discipuli non esse, maxima egregie vel, quod saltem concedent, accurate, multo minora neglegenter et inepte tractare. Contra, ut supra iam monitum est, si quis putaret — quod factum non video — Sophistam scriptum esse contra Platonem, ita ut non solum ideae eius media dialogi parte corrumperentur, sed etiam dialectica Platonis methodus ipsis illis divisionibus taediosis et inutilibus carperetur, is quamvis falsam — me iudice — tamen haud ineptam promeret sententiam. nam dialectica illa dividendi methodus, quae in Sophista occurrit, leviter et obiter considerata methodo Platonicae perquam similis est. et sic praeter eos, quos citavi, quantum scio omnes Platonicam dialecticam hic sibi visi sunt agnoscere (cf. notam 11). nec temere, ut videtur. nam non solum *διαιρέσεις* Platonis ab Aristotele, ut notum est, laudantur, verum etiam ab ipso Platone dividendi ars maximis laudibus extollitur. At, hercule, quantum hae nostri dialogi divisiones differunt ab illo *κατ' εἴδη δύνασθαι τέμνειν, κατ' ἄρθρα, ᾗ πέφυκε, καὶ μὴ ἐπιχειρεῖν καταγνύναι μέρος μηδὲν κακοῦ μαγείρου τρόπῳ χρώμενον*, ut in Phaedro (265 E) commendatur, cuius *διαιρέσεως*, si bifariam instituitur, *αἴτιον* est *τὸ μὴ ὄν* (Soph. 253 C). ab hac vera dividendi methodo quam procul absint eae, quibus sophista quaeritur, divisiones satis superque nobis videmur antea ostendisse. Cuius rei, a multis [127]) neglectae, sunt tamen, qui quaesiverint excu-

127) v. Heusde init. II, b, 104. Hermann p. 504; et, postquam res iam satis est discussa, Stein p. 222. Alberti p. 192. Stephan p. 5. Grote p. 399. cf. p. 407 n. a.

sationem. Ac Bonitzii opinionem supra (p. 18 sq.) examinavimus. Aliter Zellerus censet, Platonem divisionis methodum, cum ab aliis videret irrisam, eo obstinatius obtinuisse et ne ridiculas quidem consequentias refugisse [128]; at eo diligentius profecto omnia elaborasset neque ullo pacto admisisset hasce neglegentias. Reliqui ad iocum et εἰρωνείαν, qua semet ipsum Plato perstrinxisset, confugerunt [129]; tanquam philosophus suam dialecticam, quam summopere ubivis tollit et commendat, subito hic risui potuerit prodere eique iustissimo! Est, ubi res suas carpere Plato videatur; nunquam vero eas, quae seria reprehensione sunt dignae. Ceterum eorum, qui Platonem censent semet ipsum simulque alios una irrisisse, quo propior vero est sententia, eo est absurdior.

Vides quaestionem esse difficillimam. quamobrem collige quidquid habes benevolentiae et accipe ad quae me invitum compulerit necessitas.

Divisiones refertae sunt neglegentiarum. ergo scriptor serii nihil eis voluit assequi. proposito non solum identidem excidunt et usque ad finem nihil omnino efficiunt, verum etiam depravant quae bene se habent et ad ineptias gravissimosque, qui esse possunt, errores [130] deducunt: ergo hanc methodum is, qui haec scripsit, ipse improbavit: ergo, nisi a Platone librum abiudicas, Platonica dialectica haec non est. Quid hoc aversemur? Solusne Plato potuit invenire quod paene sua sponte se offert, ubicunque doctrina oritur, cui variarum rerum copia in classes describenda et in iustum ordinem redigenda est? equidem etiam, cum attente lego locos Phaedri 266 B Sophistae 264 E extr., vestigia quaedam mihi videor deprehendere, etiam ab aliis hanc methodum fuisse exercitatam. horum igitur arbitrariam parumque naturalem dividendi methodum imitando Plato irridet, simul verioris dichotomiae fundamentis media libri parte, ut vidi-

128) Zeller, Ph. d. Gr. II, p. 700.

129) Schleiermacher p. 88. Steinhart p. 435. Susemihl p. 292—4. Deuschle p. 308 n. Munk p. 425.

130) Dum def. VI philosophus et sophista permutantur; qualis permutatio, quae Socrati erat mortis caussa, Platoni imprimis omnium videbatur esse errorum gravissimus.

mus, tacite iactis, ad quam rem amplius illustrandam fortasse 'Philosophum' destinaverat; et sic verae ac falsae dialecticae discrimina, quamvis aliter prorsus, quam voluere quidam [131]), in Sophista conduntur. Sed quosnam Plato divisionibus his usos perstringit?

De posterioribus Eleatis praeter hospitem nostri dialogi nihil fere accepimus. Ex Sophista discimus, eos Parmenidis doctrinae summam retinuisse, cetera ad eristicas disputationes nimis propensos. Hos, si illas *διαιρέσεις* eis tribueremus, non magis cogeremus sibi contradicere, quam ipse Parmenides, dum res sensibiles explicat, principium suum deserit. Quaeritur igitur, quanta sit illis divisiones tribuendi commendatio.

Videamus hospitis Eleatici personam ab interpretibus nimis neglectam. tam nova haec figura apud Platonem est, ut suam certe habeat caussam. Quod plerumque solet afferri, disquisitiones dialecticas a Socrate fuisse alieniores, eo hoc tantum explicatur, quod Socratem scriptor non ad eas adhibuit [132]), sed cur potissimum hospitem Eleaticum? haec tecum reputa: nusquam alias Plato has singulares divisiones promit, atque in Sophista et Politico. nusquam alias, atque in his singulari utitur hospite Eleatico. An duae res singulares sese invicem illustrabunt? Sed mox melius res patebit.

Primumque, quod Schleiermacherus (p. 92) iam monuit, alii neglexere, non caecus Eleatarum cultor est hospes, sed *ἑταῖρος τῶν ἀμφὶ Παρμενίδην καὶ Ζήνωνα,* amicus sociusque Eleatarum, ceterum *ἀνὴρ μάλα φιλόσοφος,* i. e. sequitur Eleaticam doctrinam, quatenus non veritate cognita cogitur ab ea recedere. idque hoc dialogo sic fieri videmus: Proponit Socrates quaestionem satis simplicem, quae paucis poterat absolvi. Cur hospes tergiversatur? *καθ' ἕκαστον,*

---

131) de quibus Bonitz II, p. 320 sq.

132) In Parmenide, Sophista, Politico Socrates est auditor Eleatarum. Eosdem hos dialogos gravissimos Aristoteles raro vel nunquam commemorat. Idem Aristoteles saepissime Platonem laudat verbis: *Σωκράτης φησί.* Fortasse haec sunt coniungenda. Sed quomodo?

inquit, *διορίσασθαι σαφῶς, τί ποτ' ἔστιν, οὐ σμικρὸν οὐδὲ ῥᾴδιον ἔργον.* Ultro offert quae postulata non sunt. Sed quid audiemus? *διακηκοέναι γέ φησιν ἱκανῶς καὶ οὐκ ἀμνημονεῖν*: meditata ergo et memoriae dudum mandata promet. nonne profecto, ut Groteus putat [133]), omnia iam praeparata secum gerit, quae hoc dialogo exponuntur? quicunque in hoc opere formam dialogicam nullius esse momenti censuere — sunt autem sane multi — eos omnes eiusdem illius sententiae accuso absurdae. absurdae, quia secundum eam Eleates meditatam proferret acceptamque ab Eleatis Eleatarum refutationem; absurdae, quia is, qui nihil nisi provisa et praeparata promeret, ratam et fixam doctrinam edens, induceretur haerens, dubitans, summas difficultates querens, consultans pergatne an non amplius periclitetur, petens denique veniam, quia sursum deorsum fluctuet opinio (242 A); quae omnia procul ab expositione dogmatica sunt. Quaeritur igitur, quatenus hospes memorata referat, quatenus ad nova statuenda agatur. Quae *διακηκοέναι γέ φησιν ἱκανῶς*, ea sunt ante illas angustias, sunt igitur in prima parte quaerenda. sed sophistae definitione contineri non possunt, poterat enim haec, ut docuimus, nisi fracta Eleatica doctrina omnino non dari. Restat, ut sit definitionem dividendo quaerendi methodus, quam *οὐ ῥᾴδιον ἔργον* dicat, a qua *ἐπιδείξεως* suspicionem arceat (217 E). Cum hac opinione conveniunt omnia. Primum exhibitum in piscatore exemplum. quam vero in talibus rebus exercuerat hactenus methodum, ea mox apparet parum sufficiens, cum ad maiora adhibeatur. prima definitio non sicut in piscatore sophistae indolem totam refert. alteram addit, tertiam aliasque deinceps. unum hic identidem recurrit: divisionis methodus. Iam, postquam haud sine quodam pudore irrita illa sex conamina enumeravit, iactis deinde sanioris disquisitionis fundamentis, — ut aegrotanti propter incontinentiam cum viribus simul prisca redit cupiditas — rursus fiduciam concipit methodi suae: *πάντως οὔτε οὗτος οὔτε ἄλλο γένος οὐδὲν μή ποτε ἐκφυγὸν*

---

133) Grote p. 398: 'he (hospes) is from beginning to end affirmative and dogmatical.

ἐπεύξηται τὴν τῶν οὕτω δυναμένων μετιέναι καθ' ἕκαστά τε καὶ ἐπὶ πάντα μέθοδον (235 C). Quis non videt ironian, cum triumphantem sic paullo post maximae circumveniant tenebrae? Sed unde hae tenebrae? vidit hospes, cum definitione sophistae convenire non posse dogma scholae Eleaticae '*τὸ μὴ ὄν* non esse'. neque candidus vir difficultatem dissimulat. primum igitur dogmatice exponit quae tunc, ut videtur, contra *μὴ ὄντος* essentiam ab Eleatis solebant expromi. Meditata hic promuntur: nam in singulas difficultates non inopinatu incidit sed imminentes praenuntiat; scholastica sunt: aliter enim quid sibi velint *ἀκροαταί* (237 B) in quibus, tacentibus reliquis, Heindorfius (p. 348) frustra desudat, non intellego. Accedit, quod hospes has aporias pridem iam saepiusque a se expositas esse ter disertis verbis narrat: 236 E, 239 B, 242 A. Nostra igitur sententia et divisiones et non-entis aporemata scholae Eleaticae, qualis tum erat, umbratiles exercitationes imitantur [134]). sophista autem quaesitus is est, quo utrumque artificium corruat. Iam vero hospes tum demum libera per vacuum ponit vestigia, tum demum incipit esse Plato, postquam Parmenidis doctrinam frangendam esse intellexit (241 D). Quaeris, cur in fine Sophistae, cur in Politico ad divisiones recurrat, ratione ac principio iam superatas? solent suetis erroribus ei quoque teneri obstricti, qui verioris cognitionis semina in posteris oritura ipsi iecere.

Vides quam egregie Sophista dialogus exsequatur quod in Theaeteto erat propositum. Forma, qua tum utebantur Eleatae, philosophandi — si quidem de divisionibus morem mihi geris — simulque tota eorum doctrina traducitur ad Platonismum, idque ita, ut ipsi contueamur virum illi disciplinae addictum, *ἄνδρα δὲ μάλα φιλόσοφον*, ad veritatis lucem per omnes dubitandi angustias eluctantem. id vero unice fieri poterat forma dialogica. ut enim dicentium opinio-

---

134) Mirifico modo apud Groteum (p. 411, 1) vera quaedam inter falsa emicant: 'the Eleate here recites this opinion (*τὸ μὴ ὄν* non esse) not as his own, but as entertained by others and as one, which he did not clearly see through.'

nes dicendo immutentur haec sola permittit [135]). Quamobrem ne quis porro dicat, Platonem in Sophista dialogi formam vel molestam propter consuetudinem retinuisse! Neu quis in Sophista artem omnino desideret! Ea enim est summa ars, quae id quod petit assequitur ratione maxime accommodata. neque haec deest in aliis rebus, Theaeteti imprimis persona, adulescentuli modesti sed in perquirendis vilibus rebus lautioris neque semper satis attenti. Verum et haec et alia summae artis rei gratia repressae vestigia sponte sua se offerunt assidue legentibus.

Longiore cursu difficilem Platonis librum pervestigantes neque rei ullas refugimus tenebras, neque veriti sumus virorum doctorum sententias, ubi rei caussa utile visum est, exagitare. Iam vero finito proposito melius quam inchoato perspicimus, de Platone promere quod eo dignum sit quam sit difficile, quam lubricum. Nam ne labaris et intima quadam familiaritate opus est, quae cum hoc potissimum scriptore nonnisi longo legendi, cogitandi, vivendi usu iungitur, neque eorum, qui antea de Platone sunt meriti, nisi totas sententias amplecteris, iustus in singulis arbiter poteris exsistere. Quamobrem, si quid hac a parte peccatum sit, qua par est modestia deprecamur. Dum vero id nobis contigerit, ut et doctrina dialogi clarius paullo quam ante perspiciatur, et compositionis necessitas quomodo ex uno

135) Haec interior caussa formae dialogicae est. Exterior autem repetenda videtur ex Eleatarum disserendi more. Nam e comparatis locis Sophistae 217 C: *τῷ μὲν, ὦ Σώκρατες, ἀλύπως τε καὶ εὐηνίως προςδιαλεγομένῳ ῥᾷον οὕτω τὸ πρὸς ἄλλον*, et Parmenidis 137 B: *τίς οὖν, εἶπεῖν, μοὶ ἀποκρινεῖται; ἢ ὁ νεώτατος; ἥκιστα γὰρ ἂν πολυπραγμονοῖ, καὶ ἃ οἴεται μάλιστ᾽ ἂν ἀποκρίνοιτο· καὶ ἅμα ἐμοὶ ἀνάπαυλ᾽ ἂν εἴη ἡ ἐκείνου ἀπόκρισις*, verisimile est, quod etiam Stallbaumius (p. 14) coniecit, morem fuisse Eleatarum. doctrinas aliquo respondente exponere; quod institutum eis omnino temporibus, quibus doctrinae philosophae non tam libris, quam praesentis magistri sermone solebant propagari, imprimis est accommodatum. pergratum enim et docenti et audientibus debebat esse intervallum quoddam inter singulas gravissimae auctoritatis sententias, quo et hi dicta colligerent et ille dicenda praepararet.

*

consilio fluxerit tandem satis appareat, neque otii consu
aut molestiarum, quae fuere multae, nos poenitebit,
quid minus feliciter est gestum, id in amore Platonis
ad haec ardua nos excitavit, studioque referendi partic
gratiae philosopho, cui plurima debere nos sentiamus
quam habebit excusationem.

Bonnae, typis Caroli Georgi.